sc. sup. 25. pl. 3.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
6 A
1

Ex Dono Archiepi. Januarij

Digitized by Google

CASUUM MORALIUM

IN GENUENSI AULA ARCHIEPISCOPALI

Annis 1770. 71. 72. 73.

A THEOLOGIS

ALMI AC APOSTOLICI COLLEGII

S. THOMÆ AQUINATIS

SINGULIS MENSIBUS DECISORUM

EPITOME.

GENUÆ MDCCLXXIII.

Ex Typographia Gexiniana,
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. JOANNI LERCARI

SANCTÆ GENUENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, ABBATI PERPETUO S. SYRI, SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO TRANSMARINO, SS. D. N. PRÆLATO DOMESTICO, UTRIUSQUE SIGNATURÆ REFERENDARIO, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI.

QUem olim, P R Æ S U L A M P L I S S I M E, principem auctoremque, ut dirimerentur, quemque poſtea, ut in lucem prodirent, Auſpicem Patronumque liberaliſſimum habue-

Digitized by Google

buerunt de moribus controverſiæ, Eum nunc jure prope ſuo ſibi repetunt Mæcenatem; cujus propterea nomini inſcriptæ novum ex hoc lumen capiant, & ornamentum. Si enim tanta animi contentione, impenſiſſimaque in id cura potiſſimum laboraſti, ut ea ad concreditum Tibi gregem doctrina perveniret, quæ non corrupta, ſed integra, non compoſitis verborum delinimentis fucata, ſed nativo ſuo ipſius candore, ac ſimplicitate audientium animos raperet ad ſe quodammodo, pertraheretque; quanta Te hoc tempore voluptate perfuſum dicemus, quum illa a ſummis

tum

tum in cæteris, tum hac præſertim in re viris publice, Teque etiam humaniſſime audiente, pertractata ad commune nunc totius Diæceſeos bonum, ac Chriſtiani nominis incrementum evulgetur! Satis hoc, ut puto, erit, ut omnis a me ſuſcepti conſilii ratio apertiſſime, & magis etiam, quam oporteat, innoteſcat. Quapropter hic plura non perſequar, ne Tibi maximis certe negotiis diſtento vel officioſus minus, vel etiam videar fortaſſe moroſior. Nihil enim alias opus eſt cauſſas commemorare, quæ me potiſſimum impulerint, ut univerſi S. Thomæ Aquinatis Collegii

nomine princeps ipſe non ſapientia quidem, ſed dignitate compendiarias haſce in ſingulos Morales Caſus lucubrationes Tibi ultro dedicarem, conſecraremque; quum iis omnibus procul dubio ſint manifeſtiſſimæ, qui & ſingularem Tuam erga me benevolentiam, & immortalia Tua in idem Collegium promerita non ignoraverint. Vale.

E Collegio Scholarum Piarum XV. *Kal. Novembris* MDCCLXXIII.

Humillim. Addictiſs. & Obſervantiſs. Famulus
Thomas Maria Viale
Ex Ordine Schol. Piar. Excellentiſs. & Reverendiſs. Collegii Theologorum Rector.

CASUS DECISI

ANNO MDCCLXX.

Menſe Januario.

HEnricus, diſſoluta jam amicitia, quam cum vicino ſuo habebat, etſi teſtetur, ſe illum non odiſſe, non vult tamen nec alloqui, nec ſalutare.

Quæritur I. An Henricus ſic permanens abſolvi poſſit.

II. An Confeſſarius poſſit abſolvere Patrem nolentem admittere Filium ad colloquium, eo quod ſibi indignum, ac valde inæquale matrimonium inierit.

III. An inimici, poſtquam iterum amici facti ſunt, teneantur ſub mortali ad priſtinam familiaritatem.

IV. An lædens teneatur veniam petere a læſo, & illi reconciliari.

V. An quilibet teneatur inimico remittere non ſolum odium, ſed etiam injuriarum actionem, quam, juris ordine ſervato, coram judice petere poteſt.

DE-

DECISIO.

AD I. Dicendum, Henricum renuentem alloqui, & ſalutare vicinum ſuum, cum quo veteris amicitiæ fœdus diſſolutum fuit, & ſic permanentem abſolvi nequaquam poſſe. Licet enim non levis exardeat inter Theologos contentio, an præceptum de proximo etiam inimico diligendo obliget nec ne ad ſalutandum, alloquendum, aliaque hujuſmodi benevolentiæ ſigna illi exhibenda, affirmativam aliis, aliis negativam opinionem ſtricte, & abſolute tuentibus; hoc tamen diſſidium diſtinctionis ope facili pacto componi poſſe videtur: ita nempe ut opinio negativa procedat reſpectu inimici aut inferioris, aut æqualis conditionis, & quem ſolitus quis non fuerit alloqui, nec ſalutare: & ratio eſt, quia relative ad hanc perſonam ſalutatio, & allocutio foret ſignum benevolentiæ non commune, ſed ſpeciale, ad quod impendendum præceptum, de quo ſupra, non coarctat; affirmativa vero opinio locum ſibi vindicet, quando agatur de perſona ſuperioris conditionis, aut valde gravi, cui alias ſalutatio deberetur; prout etiam ſi res ſit de Collega, Vicino, Cive, aliiſque perſonis, cum quibus ſalutationis, & allocutionis conſuetudo intercelſerit. Præter enim quam quod vix, ac ne vix quidem ſine ſcandalo omitti poteſt

poteſt allocutio, & ſalutatio talium perſonarum, urget ulterius ratio validiſſima, quod in ordine ad dictas perſonas tam allocutio, quam ſalutatio reponendæ non ſunt inter ſpecialia, ſed inter communia, & ordinaria charitatis ſigna, quæ ipſis etiam inimicis exhibenda eſſe nemo hactenus dubitavit. Videatur S. Thomas 2. 2. *quæſt. 25. art. 9.*

Hac diſtinctione præmiſſa, palam fit, Henricum, utcumque teſtetur, ſe odio non habere vicinum ſuum, quum tamen propter diſſolutam antiquam amicitiam eum nec alloqui, nec ſalutare velit, uti antea conſueverat, nullo modo adimplere fraternæ charitatis præceptum, quo inimicos noſtros diligere per actus tum externos, tum internos, jubemur; ideoque, ni peſſimam hanc voluntatem deponat, cujuſvis ſacramentalis abſolutionis indignum, imo & penitus incapacem habendum fore.

Ad II. Cum diſtinctione pariter reſpondetur, denegandam ſcilicet eſſe a Confeſſario abſolutionem Patri nolenti admittere filium ad colloquium eo ſub obtutu, quod matrimonium ſibi indignum, ſeu valde inæquale contraxerit, quatenus id ex animi odio, & in perpetuum faciat: ſecus ſi ad tempus, & ad juſtam caſtigationem, ad honorem familiæ, & aliorum filiorum cautelam procurandam, ſepoſito livore, differat reconciliationem, quo-

quouſque videbitur conveniens ad punitionem, & bonos fines, quos ſibi propoſuerit, conſequendos. Ita communis cum Antoine *in Tract. de virtut Theol. part 3. c. 2 a. 2. qu. 2. n. 4.*

Ad III. Reſpondendum, inimicos, poſtquam amici facti fuerint, non teneri ſub mortali ad eam familiaritatem, qua primitus utebantur; ſed nihilominus ultra generalia amoris ſigna omnibus communia teneri ad aliqua etiam ſpecialia, quæque inter amicos communia ſunt, ſigna ſibi viciſſim exhibenda. Ita Antoine *loc. cit. n. 3* Quamobrem hoc debent Confeſſarii advertere, ne ad id, ad quod non tenentur, pœnitentes adſtringant, aut ab eo, ad quod tenentur, abſolvant. Hinc ſi agatur de fratribus, qui in priſtinam amicitiam redierint, eos obligent, ut ſe mutuo inviſant, niſi per accidens excuſentur timore aliorum incommodorum non leviter & oſcitanter, ſed mature & prudenter æſtimandorum.

Ad IV. Aſſerendum, lædentem teneri veniam petere a læſo, & illi reconciliari, quia hæc reconciliatio debetur illi, qui injuſte injuriam accepit. Ratio ſiquidem poſtulat, ut qui exterius ſigno, verbo, vel facto alium offendit, exteriorem ineat reconciliationem, petendo a læſo, quantum commode poteſt, per ſe, vel etiam, ubi prudentia dictet, per interpoſitam perſonam ſigno, verbo, vel facto veniam, & remiſſionem offenſæ. Dictum eſt, *quan-*

quantum commode poteſt, ad eximendum ab iſta obligatione caſum, in quo probabiliter, & prudenter judicari poſſit, læſum ſatisfactionem non admiſſurum, imo majoris odii, & furoris incentivum ab iſta veniæ petitione ſuſcitari poſſe, quod facile agnoſcitur expectando aliquod tempus poſt illatam injuriam. Quod ſi duo ſe invicem læſerint, prius venia petenda erit ab eo, qui prius, aut gravius offenderit; in pari autem vel ſimultanea injuria, par & ſimultanea reconciliatio facienda erit. Ita omnes communiter cum laudato Antoine *loco cit. n.* 5.

Ad V. Dicendum, quemlibet teneri remittere inimico odium, ſed non etiam injuriarum actionem, quam juris ordine ſervato coram Judice petere poteſt. Et ratio eſt, quia ſicut Judex ex motivo juſtitiæ vindicativæ non ſolum poteſt, ſed debet delinquentes punire, ut exemplo punitionis malefactores arceantur; ita ex eodem motivo poteſt offenſus tuta conſcientia juſtitiam petere; & in hoc omnes pariter cum Angelico Præceptore 2. 2. *qu.* 108. *a.* 1. conveniunt, ut videre eſt apud Natalem Alex. *Theol. mor. lib.* 4. *de Decal. cap.* 3. *art.* 11. *reg.* 19., & Genet. *Theol. moral. tom.* 7. *tract* 6. *de* 5. *Decal. Præcept. cap.* 2. *qu.* 2. Quinimo aliquando non omnes perſonæ eam, de qua res eſt, injuriarum actionem remittere poſſunt, etiamſi velint; quia non ad ipſas, ſed

ſed ad alios id ſpectat. Exemplum habemus in Uxore, in Filio non emancipato, in Servo, in Religioſo, juxta *Gloſſam receptam in cap. Parochianos de ſent. excom*. Actionem quippe contra injuriantem non Uxori, ſed Marito, non Filio, ſed Patri, non Servo, ſed Domino, non Religioſo, ſed Prælato leges concedunt.

Confirmatur propoſitio ſuperius conſtabilita ex pluribus Decretis Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. Unum ex iſtis refertur a Barboſa *in Summa Apoſtolicarum Deciſionum v. Pax n.* 2., & eſt in Cajetana 15. *Novembris* 1588., quo reſolutum fuit, pacem cum alio facere neminem eſſe compellendum, quum ſufficiat pro foro conſcientiæ intus injuriam remittere. Alia quamplurima recenſet P. Moronus de Calio *in deciſ. Prudent. caſ.* 64. hiſce verbis. *Sacra Congregatio Epiſcoporum ſuper hoc ſæpius requiſita declaravit, offenſum non teneri ad pacem in ſcriptis, ſed ſufficere in foro conſcientiæ intus injuriam ipſam removiſſe, ac rancorem depoſuiſſe;* et ſignanter *1577. Arimini 10. Martii, Aſſiſii 8. Aprilis & 6. Maj. 1562., Chieti 5. Julii* 1567., *Borgo S. Donino* 17. *Auguſti*, *Alatri* 14. *Auguſti* 1605., *Caſtro* 18. *Aprilis*. *Brindiſi* 26. *Apr.* 1614., *Aſcoli* 18. *Apr.* 1616., *Terracina 20. Maj 1641. Et demum, dum manebam Arimini Lectoris Moralis fungens officio, quædam mulier, quam renuentem in oppido Veruculi*

ruculi facere in ſcriptis pacem cuidam interfectori, ni fallor, Mariti, abſolvere nolebant Confeſſarii, recurſum habuit ad S. ipſam C., quæ de more eſſe abſolvendam ſancivit.

Hæc tamen doctrina, quamvis per ſe certa & vera, caute, & cum grano, ut ajunt, ſalis intelligatur oportet. Quandoquidem *ulciſcendi libido hominum mentibus fere inſita eſt*, ut legitur in Catech. Romano *de 5. Præcept. Decal n.* 19.: quare cavendum eſt, ne in hiſce caſibus quis cæcutiat, ſibique aduletur, putans, ſolo ſe juſtitiæ zelo duci, ut jus ſuum tueatur; quum tamen, ſi res medullitus introſpiciatur, agat ex motivo vindictæ, & odii in proximum ſuum; quod omnino vetitum eſt, ut clariſſime deducitur tum ex verbis, tum ex ſenſu Auctorum ſupra allatorum, & ex enunciatis Decretis Sacræ Congregationis, quorum tenore attento tunc ſolum licet querelam, ſeu aliam civilem, aut criminalem actionem contra injuriantem coram Magiſtratu proponere, eamque proſequi, quando non ex motivo vindictæ & odii, ſed ob ſolam reparationem injuriæ, aut damni illati vel ex zelo juſtitiæ, & boni publici, quis operetur; quod quam difficulter in praxi deducatur, nemo eſt, qui non videat. Propterea conſulendus eſt aliquando pœnitens ad remittendam præfatam actionem, maxime ſi agatur de pœna valde gravi condonanda, quum difficile admodum ſit eam proſequi ſine livore vindictæ. Men-

MENSE FEBRUARIO.

Auguſtinus Capellanus, qui onus habet Miſſam quotidie applicandi in Altari privilegiato, quandoque Miſſam non applicat, quandoque vero applicat in Altari non privilegiato.

Quæritur I. An & quoties in anno poſſit Auguſtinus a celebratione vacare, imo poſſit pro aliis Miſſam applicare, ac pro tali applicatione eleemoſynam accipere.

II An quoties Miſſam non applicat in Altari privilegiato, mortaliter peccet Auguſtinus; & an, & quomodo teneatur ad reſtitutionem.

DECISIO.

Ad I. approbandam eſſe cenſeo hanc communem Doctorum diſtinctionem. Vel Fundator declaravit, ſe velle, ut proviſus de Capellania ſit actu Sacerdos, & per ſe quotidie celebret; atque in hoc caſu conſentio communi Theologorum ſuffragio, hunc ſcilicet diſpenſari a quotidiano onere celebrandi duobus advenientibus caſibus, nempe corporis infirmitate, & ſpeciali aliqua cauſſa honeſtatis, & devotionis debitæ. In utroque enim caſu diſerte declarat Caput *Significatum de præbendis,*

dis, quotidianum Miſſarum onus licite intermitti poſſe. Quum vero intermiſſio illa debeat certis limitibus circumſcribi, qui tamen non determinantur in ipſo jure; duplex hic eſt quæſtio diſcutienda, ſcilicet quot diebus liceat intermittere illud onus propter ægritudinem corporis, & quot etiam diebus propter honeſtatem, & debitam devotionem. Quod ſpectat ad cauſſam honeſtatis, & devotionis, opinio multorum eſt, poſſe Capellanum intermittere Miſſæ celebrationem una die per ſingulas hebdomadas. Ita Panormitanus in dictum *Cap. Significatum*, Imola *ibidem*, Sylveſter *qu. 7.* Angelus *verb Miſſa qu. 45.*, Navarrus *conſ. 7. de Præbend.*, Zerola *par. 1. verb. Miſſa*, Suarez *in par. 3. tom. 3. diſp. 86. ſect. 1. col. 3. verſic. de Beneficiis*, Barboſa *de officio, & poteſtate Epiſc. par. 2. alleg. 24. num. 31.* Ego tamen, licet juxta Caput *Significatum* aliquot dies intermiſſionis Miſſarum permittendos eſſe cenſeam, nequaquam tamen ita frequentes conceſſerim, ut unus de ſingulis hebdomadis eximatur. Nimis enim laxa videtur hæc opinio. Ipſa enim admiſſa ſequeretur, Capellanum ſeptima fere oneris parte ſe ipſum per annum exonerare contra certe voluntatem Fundatoris, qui non eſt cenſendus conſentire hujuſmodi detractioni, dum quotidie eleemoſynam pro Miſſæ celebratione aſſignavit. Quocirca cum doctiſſimo Joanne Cabaſſutio *in*

ſua

ſua Juris Canon. Theoria lib. 2. cap. 28. num. 10., quem alii plures Doctores ſequuntur, indubitanter dicendum eſſe arbitror, licitum eſse Capellano unum de ſingulis menſibus diem demere, acriterque impugnandam reputo laxiorem illam ſententiam indulgentem intermiſſionem unius diei in qualibet hebdomada. Et merito quidem, ut adnotat *in expoſit. Juris Pontif. ſect. 366.* P. Giraldi ex Scholis Piis: quum enim, ſi de cauſsa honeſtatis agatur, hæc non ex alio motivo deſumi poſſit, quam ex animæ indiſpoſitione (ut in dictum *Cap. Significatum* notat Gloſsa & Doctores communiter) ratione peccati mortalis, cujus ſe conſcium noſcat Capellanus; tunc ſolum poterit celebrationem intermittere, quum copia Confeſsarii ei non ſuppetat: quod quidem raro contingere poteſt; alias, ſi qualibet hebdomada id contingeret, imputandum eſset ejus malitiæ, & habitui malo, quod in detrimentum ſuffragii animæ Fundatoris redundaret. Si vero agatur de devotione, animadvertendum eſt, an & hujus defectus oriatur ex ipſius culpa, qui tam ſæpe in ſpiritus fervore deficeret, & non conaretur oratione v. g., aliiſque mediis devotionis impedimenta removere: & ſic in utroque caſu peccaret, & teneretur per alium ſatisfacere.

Nunc diſcutienda altera cauſsa nimirum corporeæ ægritudinis, quæ juxta memoratum

Ca-

Caput diſpenſat a quotidiana Miſsarum celebrationis obligatione, ita ut opus non ſit alterius Sacerdotis ſubſtitutione. Iſtas Miſsarum inducias Summiſtæ & Canoniſtæ diverſimode aſſignant. Qui eas plus æquo reſtringunt, limitant ad decem dies, quibus exactis, ſi duret infirmitas, volunt alterum ſubſtituendum Sacerdotem ad Miſsarum onus. Ita ſentit Barboſa *cit. loc. ex leg. Si pecuniam*. Qui latius has extendunt, menſem ægritudinis aſſignant, ut Hurtadus *de Sacram. diſp.* 4., Layman, & Bonacina, qui, utpote civis Mediolanenſis, Concilium Provinc. Mediolanenſe VII. in teſtimonium adducit, quod *tit. de Miſſis* decernit, poſse integrum ſtipendium a Capellano recipi, qui ex vera infirmitate uno menſe non celebraverit, abſque eo quod obſtringatur celebrationem per alium Sacerdotem implere. Media tandem, & juſtior ſententia, quam tuentur Navarrus *lib.* 2. *de reſt. cap.* 2., aliique clariſſimi Doctores, concedit ex morbo dierum quindecim inducias. Id expreſsum habemus in decreto S. Cong. Conc. *in Romana celebrat. Miſſ.* 4. *Junii* 1689., & 17. *Novemb.* 1695. relato tom. 2. *Inſtitut. Canon.* P. Remigii Maſchat. ex Familia Cler. Reg. Scholarum Piarum pag. 108., ubi hæc habentur: *Beneficiatus, ſeu Capellanus, cui incumbit onus Miſſas quotidie celebrandi per ſe ipſum, ſi ex diuturna infirmitate excedente quindecim dies impediatur eas*

celebrare, *tenetur ſatisfacere per alium*. Quam æquiorem ſententiam Capellanus hujuſmodi onere gravatus, relictis aliis ſupra recenſitis, ſequi debet; quum declaratio Cong. Concilii, utpote quæ in ſimilibus dubiis decidendis auctoritate Papæ procedit, omnino præferenda ſit cuicumque privatorum Doctorum opinioni. Hinc infertur reprobandam eſſe opinionem Sylveſtri *verb. Miſſa qu. 7. num. 7.*, & Azorii *par. 1. lib. 10. cap. 24.* aſſerentium, teneri Sacerdotem, detentum valetudine paucorum dierum, ſupplere per alium, aut pro rata de ſtipendio reſtituere. His enim aperte refragatur *cit. Caput Significatum*, & naturalis æquitas reclamat, ſecundum quam dicit Gloſſa in *L. Arboribus §. De illa, ff. de uſur.*, *non eſſe denegandum ſalarium famulo, qui exiguo tempore ægrotavit*.

Notandum vero, quod ſi Capellanus ob aliquam infirmitatem redditus eſſet omnino impotens, & aliunde non haberet, unde viveret, ac ordinatus fuiſſet ad titulum Capellaniæ, tunc, durante impotentia, neque per alium teneretur ſatisfacere, ut declaravit laudata Cong *in Piſtorien. 5 Feb. 1650. ut in lib. Decretor XIX. pag 24.*, quemadmodum ex iiſdem circumſtantiis exemit ſimilem Capellanum *in Patavina 24 Aprilis* 1655. *dicto lib. XIX. p. 453.*

Prædictis Miſſarum induciis locus eſt abſque ſtipendii diminutione, quando voluit Fundator celebrari Miſſas ab ipſo eodem, qui de Capel-

Capellania fuit proviſus, atque adeo, qui ſit actu Sacerdos. Verum, ut reſumamus alteram primæ diſtinctionis partem, ſi Fundator non providerit, ut teneatur Capellania ab eo ſolum, qui ſit actu Sacerdos, poterit Clericus annorum quatuordecim provideri, qui teneatur per alium Miſſas perſolvere; & in eo caſu non licebit ullo die Miſſas intermittere, neque valebunt ad ullas inducias prædictæ ſive corporis infirmitatis, ſive honeſtatis, aut debitæ devotionis cauſſæ. Ubi enim libertas relinquitur alium ſubſtituendi per eum, qui non Sacerdos fundatione proviſus fuerit, jam non admittitur excuſatio; quia, uno impedito, numquam deerit Sacerdos ſubſtituendus. Hac in re unanimes ſunt Doctores, Abbas, Imola, Sylveſter, Angelus, Navarrus, Zerola, Barboſa, atque idipſum eruitur ex declaratione S. Cong. Conc. 18. *Septembr.* 1683. *in reſp. ad VI.*

Ad pleniorem hujuſce primi Quæſiti enodationem animadvertendum eſt, quod in memorato opinionum conflictu circa numeri Miſſarum intermiſſionem ex cauſſa honeſtatis, & devotionis, S. Cong. Conc., ne Capellanis habenas laxaret, abſtinuit a declaratione, quot vicibus ipſis in annum liceret hæc intermiſſio: propoſitis enim ſibi ſequentibus dubiis ab Epiſcopo Collenſi ſub die 18. Septembris 1683. videlicet

Epiſcopus Collenſis, Diæceſim viſitando, comperit, non ſine maximo conſcientiarum periculo plures abuſus irrepſiſſe in adimplendo mentem eorum, qui Miſſas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos, diſſolvendum, atque diſcutiendum videtur

I. An Sacerdotes, obligati ratione beneficii, capellaniæ, legati, aut ſtipendii celebrare quotidie Miſsam per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare; & quatenus affirmative.

II. Quando, & quoties a dicta celebratione vacare poſſint.

III. An diebus licitæ vacationis poſſint Miſſam pro ſe ipſis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus, celebrare; & quatenus affirmative.

IV. An pro aliis celebrando, poſſint ſtipendium pro hujuſmodi celebratione recipere.

V. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur, Miſſam ab aliis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum.

VI. An Sacerdotes, ut ſupra, obligati celebrare Miſsam quotidie, abſque tamen onere celebrandi per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare.

Sacra &c. ad I. & II. reſpondit affirmative, concurrente aliqua rationabili cauſa. Ad III. IV. & VI. negative. Ad V. diſtulit reſolutionem; (& ſub die 13. Novembris 1683.

1683. reſpondit, quod dabitur reſolutio in caſibus particularibus).

Hæc eadem dubia, & reſponſa refert Benedictus XIV. *lib. 3 cap. 3. de Sacrif. Miſſæ num 7.*, quibus attentis & ipſe abſtinet, ſenſum ſuum aperire, cui ex allatis opinionibus, quoad numeri Miſsarum intermiſſionem, ſit deferendum.

Nota I., quod ex tertio Congregationis reſponſo corruit etiam opinio Cabaſſutii benigne favens Capellanis, quam *loc. cit. num. 9.* his verbis expreſſit. „ Ego vero latius iſtam „ devotionis cauſſam exponendam duco, ut „ interdum etiam ſacrificet ob aliam, quam „ Fundationis cauſsam, etſi rariſſime id ei „ liceat. Duriſſimum enim, & indecorum, „ & debitæ devotioni oppoſitum nimis eſt, „ ſi Sacerdos tam iniquo vinculo adſtringa-„ tur, ut totius vitæ tempore non poſſit, niſi „ ſi pro uno aliquo defuncto, nunquam ve-„ ro pro ſe ipſo, nunquam pro Sancta Ec-„ cleſia, nunquam pro urgentibus populi ca-„ lamitatibus, nunquam pro parentibus, aut „ fratribus defunctis Sacrum celebrare --.

Nota II., quod ex quarto S. Congregat. reſponſo ſimiliter corruit ſententia eorum, qui dicunt, Sacerdotem, jam ex juſtitia alteri obligatum pro quotidiana applicatione, poſſe diebus licitæ vacationis, aut ſaltem in die Commemorationis omnium Fidelium Defun-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ctorum ab alio accipere novum ſtipendium, & ſecundum hujus intentionem pro alio, vel aliis Sacrificium applicare. Sacra ſiquidem Congr. omnem a Sacerdotibus amovere volens avaritiæ labem, ac etiam ſuſpicionem, expreſse vetat alterius ſtipendii acceptionem, nec unquam declaravit, poſse ullo die quotidianum onus omitti, ut cum novo ſtipendio pro alio, vel aliis celebretur, quemadmodum fuſiori calamo probat laudatus P. Giraldi loco cit.

Ex dictis patet reſponſio ad I. quæſitum, An, & quoties in anno poſſit Auguſtinus a celebratione vacare &c.

Ad II., quod duas complectitur partes, breviter reſpondeo. Et quoad primam dico, omnes Doctores unanimiter fateri, Capellanum non celebrantem Miſsas in loco deſignato ex pacto, vel ex teſtamento, ſi id faciat abſque juſta, & rationabili cauſsa, lethaliter peccare, quia in re gravi non adimplet voluntatem, & intentionem paciſcentis, vel Teſtatoris, nec præſtat id, ad quod fuit electus. Si vero hoc faceret ex juſta, & rationabili cauſsa, ut ſi Altare privilegiatum eſset dirutum, & privilegium non translatum; non peccaret, quia non eſset amplius in poteſtate Sacerdotis ibi celebrare.

Quoad II. partem, omnium fere Theologorum ſententia eſt, Miſsas in Altari privilegia-

legiato celebratas citra Sacrificii fructum importare etiam pro animabus Defunctorum plenariam Indulgentiam . Idcirco Capellanus, qui, ut debebat, in Altari privilegiato non applicavit, ſed in alio celebravit, non habita juſta, & rationabili cauſsa, tenetur ad reſtitutionem. Non enim lucratus eſt beneficium eo ipſo, quo mentem paciſcentis, ſeu teſtatoris non adimplevit, ut contingit in caſu. Illatum ergo damnum animæ Defuncti debet reparare. Sed quomodo damnum tam grave reparabit Capellanus? Per alterum Sacerdotem Miſsas in Altari privilegiato, ab ipſo non celebratas, cum applicatione Sacrificii pro anima Fundatoris citiſſime celebrari contendat, iis tantum exceptis, de quibus in reſponſione ad I. quæſitum ſermonem habui.

Mense Martio.

Victorinus vino addictiſſimus, etiamſi ſciat, ſe propter ſuam potationem plerumque turbari, adeo ut ſaltem capite, ac pedibus valde vacillet, non vult ab illa deſiſtere.

Quæritur I. An propterea Victorinus graviter peccet.

II. An peccent mortaliter ii, de quibus S. Hieronymus *in cap. 1. Epiſt. ad Titum* dicit, *quod vomunt, ut bibant, & bibunt, ut vomant*.

III. An ebrietas liceat ex conſilio Medici ad recuperandam ſanitatem. IV.

IV. An ebrietas ſit mortalis, etiamſi ſciat ebrioſus, brevi tempore ſe uſu rationis privari.

DECISIO.

QUo facilior ad caſus propoſiti ſolutionem aditus pateat, animadvertendum I., ebrietatem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale. Ita Angelicus Doctor *lect. 3. in caput 13. epiſt. ad Rom.*, *& lect. 3. in c. 5.* 1. *ad Corinth.*, cui conſonat Facultas Theologica Pariſienſis *art. 78. primæ partis Corporis Doctrinæ*. Re quidem vera aperta ſunt de hac re Scripturarum teſtimonia: *Nolite errare*, ait Apoſtolus ad *Cor. 1. c. 6.*: *neque fornicarii ... neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt*. Et ad *Gal.* 5. ebrietatem accenſet operibus carnis, & concludit, quod *qui talia agunt*, *regnum Dei non conſequentur*. Super quæ inquit egregie S. Joannes Chryſoſt. *ſerm. 59. in Martyres*: *Poteſtis ignorare, quæ ſupplicia ebrioſos expectent? a regno Dei expellentur. Quis hoc dicit? Apoſtolus Paullus. Quæ eſt iſta igitur ebrioſi miſeria, qui ob modicam voluptatem regni cæleſtis delicias reſpuit?* Ex iiſdem Apoſtoli teſtimoniis S. Auguſtinus *lib. 2. cont. Fauſtum c. 44.*, *& lib. 2. c. 10. de peccat. meritis*, *& epiſtolis 29. & 93.* colligit, ebrietatem, uti lethale peccatum, eſſe habendam. Denique, ut alios omittam, Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus *ſerm. 91.*, alias inter Auguſtinianos *de*

tem-

tempore 232 , nunc *in Appendice* 295. mortiferam ebrietatis malitiam conceptis verbis unicuique conſiderandam proponit : *Definiat*, inquit, *& deliberet unuſquiſque apud ſe , ebrietatem grave eſſe peccatum .*

Animadvertendum II. , varios eſſe ebrietatis gradus, ut proinde alia dicatur ebrietas perfecta , alia imperfecta . In primam incurritur , ut docet ſuperius citata Pariſienſis Facultas , *quum voluntaria potatione rationis lumen obruitur , vel etiam notabiliter perturbatur* : altera vero in immoderato vini uſu conſiſtit , licet vel parva , vel nulla rationis perturbatio contingat . Porro anguſtiores ebrietatis peccato fines ſtatuunt , qui contendunt , culpæ lethalis malitiam in ſola ebrietate perfecta verſari . Si valeret principium hujuſmodi , non deeſſent profecto , qui nunquam in mortale peccatum laberentur , quantumvis vino ſe ingurgitarent ; quippe qui adeo firmo ſunt & capite , & ſtomacho , ut in iis quælibet vini vis , & copia vix quidquam perturbationis , ac ſenſus excitet . Verius itaque eſt S. Joannis Chryſoſt. principium , qui *hom. 44. in Matth.* docet , quod *quidquid in cibo , & potu neceſſitatem ſuperat , jam non eſt cibus , & potus , ſed venenum* . Nimirum præter præceptum , quod ebrietatem prohibet, eſt etiam præceptum , quod temperantiam jubet . Virtutem autem temperantiæ graviter lædi, ubi nimius , ac notabilis fuerit exceſſus

in po-

in potando, nemo non videt. Quot præterea in vini exceſſu nihil aliud propoſitum habent, quam ut voluptate afficiantur, & pruriginem expleant? In quo ſane reperitur peccatum, ut patet ex propoſitione inter alias 8. damnata ab Innoc. XI. P. M. *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolum voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*: quæ propoſitio etiam a Clero Gallicano in Comitiis Generalibus An. 1700. confixa eſt his verbis: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, & ad Epicuri Scholam ableganda*. Sed præſtat rem hanc Angelici Præceptoris doctrina clarius definire. Exponens ipſe, quid ſit ebrietas 2. 2. *qu. 150. a. 1.*, docet, eam oriri *ex inordinata concupiſcentia, & uſu vini*. Eodem loco ad 2. *Immoderatus uſus vini eſt*, ait, *in quo peccati ratio conſiſtit*. Et ibidem a. 2. *Culpa ebrietatis conſiſtit in immoderato uſu, & concupiſcentia vini*. Formalis igitur ebrietatis malitia juxta Angelicum ex amiſſione rationis minime pendet, quæ potius veluti ebrietatis effectus ſpectari poteſt; ideoque, licet careat prælaudato effectu ebrietas, ac proinde imperfecta dici poſſit, completam tamen habere poteſt peccati malitiam, & conſequenter graviſſima culpa potatorem afficere.

Hiſce prænotatis, facilis eſt propoſiti caſus

ſus quoad omnia capita enodatio. Ad I. itaque reſpondeo, Victorinum mortaliter peccare. Et ſane Victorino ita affecto ex voluntaria potatione, ut capite ac pedibus multum vacillet, ut in caſu, aut rationis lumen extinguitur, aut notabiliter perturbatur, aut denique Victorinus rationis uſu non excidit. Si I. aut II., jam in perfectam ebrietatem incurrit, adeoque lethalis peccati reus eſt juxta prænotata 1. & 2. loco. Si III., imperfecta quidem fuit ex communi ſenſu Victorini ebrietas, ea tamen non caruit malitia, quæ ad mortale peccatum conſtituendum ſufficit. Enimvero lethaliter peccant ii omnes, qui modum in potu ſcientes, & volentes plurimum excedunt, etiamſi rationis uſu non excidant: ſed Victorinus ſciens, & volens modum in potu plurimum excedit, etiamſi rationis uſu non excidat: ergo ipſum lethaliter peccare non eſt ambigendum. Major conſtat ex præſuppoſitis II. loco, & ulterius confirmatur tum Scripturarum, tum Patrum auctoritate. Et I. Prov. 23. Spiritus Sanctus comeſſationibus, & compotationibus vacantes ultione divina conſumendos docet: *Noli*, inquit, *eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur.* Atque ad illius peccati gravitatem magis magiſque exprimendam ſubdit: *Cui væ? cujus patri væ? cui*

cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino,, & ſtudent calicibus epotandis? Quoties autem to *væ* in Sacris Literis intentatur, grave crimen ſubeſſe recte colligitur. Ut enim obſervat S. Hieronymus *in cap. 5. Amos, Væ pœnarum ultimum eſt;* &, ut ait Beda in locum *Prov.* mox citatum: *Væ æternum interitum nominat, de quo Dominus væ inquit homini, per quem ſcandalum venit.* Porro vacant potibus, commoranrur in vino, & ſtudent calicibus epotandis ii omnes, qui modum in potu ſcientes, & volentes plurimum excedunt, etiamſi rationis uſu non excidant. Hinc Sancti Patres illos damnant, ceu gravis peccati reos, qui certa bibendi lege contendunt, quis ſit ad bibendum valentior. Ita S. Baſilius *hom. 14. in ebriet.* graphice eorum impudentiam exponit hiſce verbis: *Deinde potatione procedente eo veniunt, ut de augenda hac inſania certent, & de ebrietate per ambitionem contendunt. Cujus auctorem legis, præſidemque certaminis diabolum habent; victoriæ vero præmium peccatum. Nam qui plus hauſerit meri, is præ cæteris laudatur, is victoriam refert. Atque ita vere gloria in ignominia illorum eſt.* Cum Baſilio concinunt S. Ambroſius *de Jejun. & Eleem. c. 13.*, S. Hieronymus *in cap. 1. epiſt. ad Tit.*, & S. Auguſtinus, ſeu verius S. Cæſarius *ſerm.* jam citato *de Tempore*, ubi etiam acerrime in

eos

eos invehitur, qui ſitis irritamenta ſumunt, ut largius bibere valeant, idque Paganorum intemperantiam redolere aſſerit. Quod autem Victorinus modum in potu ſciens, & volens plurimum excedat, etiamſi fortaſſe rationis uſu non excidat, aperte patet. Sciens enim, & volens in vino ita eſt immoderatus, ut adeo plerumque turbetur, ut ſaltem capite, & pedibus valde vacillet. Reus ergo lethalis culpæ eſt Victorinus. Dixi: fortaſſe rationis uſu non excidat. Nam vix fieri poſſe crediderim, ut quis ob nimiam potationem ita commoveatur, ut capite, ac pedibus valde vacillet, quin ratio obruatur, aut ſaltem notabiliter perturbetur; quo in caſu ab ebriis dumtaxat in dubium revocabitur, lethale peccatum committi. Præterea Iſaias *c. 5. v. 11.* eos vehementer increpat, qui eo intemperantiæ deveniunt, ut vino æſtuent: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis.* At nonne vino æſtuare dicendus eſt Victorinus, qui ob ſuam potationem vini vaporibus eo uſque opprimitur, ut non ſolum caput vino ferveat, ſed etiam vehementer titubet, pedes quoque non certe parum, ſed valde vacillent? Rurſus ex ipſis circumſtantiis de lethali peccato convincitur Victorinus. Sunt enim circumſtantiæ aggravantes, ad eum pervenire ſtatum, ut præ vino conſueto labori quis vacare

care nequeat, ut ſcandalum aliis ingerat, ut denique valetudinem ſuam notabiliter lædat. At Victorinus ita præ vino turbatus, ut capite, ac pedibus valde vacillet, quomodo conſuetis laboribus par eſſe poterit? Negliget ſane officia hominis Chriſtiani, rem domeſticam non curabit: hinc numeroſa fortaſſe familia ſæpe indigebit, ipſique deerunt ad vitam neceſſaria, dum ad explendam gulam impenduntur. Nonne vero ſcandalo erit Victorinus ita vino coctus, ut veluti vento actus modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram declinet? Nonne ex tam intemperanti potu gravia ejus ſanitati incommoda obvenient? Porro ſi operibus ex ſe piis, ac ſanctis vacare non poſſumus cum gravi valetudinis detrimento; dato etiam, quod nimia Victorini potatio indifferens eſſet, in graviter peccaminoſam migraret ex eo, quod notabile ejus ſanitati nocumentum indubitanter afferret. Quid quod memoratus Iſajas *cit. cap. 5. v.* 22. eos etiam graviter inſectatur, qui firmo capite, atque æruginoſo ſtomacho ebrietatis incommoda minime ſentiunt? *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. Hinc de ſtrenuo potatore optime ajebat S. Auguſtinus, ſeu Cæſarius *ſerm.* 153. *tanto nequior, quanto ſub poculo invictior*. Huc etiam ſpectat ſuperius expoſita S. Thomæ de ebrietate doctrina, gravem ejus malitiam a nimia

nimia vini concupiſcentia, atque immoderato uſu repetendam eſſe ſtatuentis. Quod ſi is lethaliter delinquit, qui firmis capite, ac pedibus ebrietatem ſuſtinet; quanto magis mortali obſtringitur culpa Victorinus, qui capitis tremore, ac pedum nutatione ſe ſe ebrium, ac vino obrutum prodit. Sive ergo Victorini factum ad æquas temperantiæ leges exigas, ſive ad optimam Angelici trutinam expendas, nequit a lethalis culpæ nota vindicari. Doctrina Caſuiſtarum, Victorinum tantum venialiter peccare docentium, P. Cōcinæ *Theol. t.* 10. *p.* 572. *n.* 23 *laxitatis portentum videtur*.

Ad II Hactenus dicta in reſponſione ad I. a fortiori probant, lethaliter eos delinquere, qui vomunt, ut bibant, & bibunt, ut vomant, etiam dato, quod ſe non privent uſu rationis. Et ſane quid magis brutale, vel diabolicum poteſt excogitari? De hujuſmodi ſuper-beſtiali intemperantia loquens S. Joannes Chryſoſt. *hom.* 14. *in Matth.* dicit, *quoſdam eſſe qui corpora ſua minoris, quam vaſa ſua faciunt. Hæc enim implere cavent adeo, ne diſrumpantur; corpora vero ſua hauſtum vinum nequeunt continere*. Hanc ipſam intemperantiam acriter deteſtatur S. Auguſtinus, ſive potius S. Cæſarius *Serm.* 294. *Frequenter uſque ad vomitum ingurgitare ſe non erubeſcunt... Pejores animalibus judicandi ſunt. Quum enim animalia*

lia amplius , quam eis opus eſt , bibere nolint , illi & duplum , & triplum , quam eis oportet , potum accipiunt . Et unde tribus , aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere , uno die cum grandi peccato ſuo contendunt perdere potius , quam expendere . Atque utinam vel potum tantummodo perderent , & non etiam ipſi perirent . Ne actum agere videar , recolantur ſuperius allata Scripturarum oracula , & præſertim illud *Iſ. cap. 5.* , ubi Propheta turpiſſimis hiſce potatoribus æternum interminatur exitium. Addatur aliud ejuſdem Iſaiæ oraculum *c. 28. v. 7. & 8. Verum hi quoque præ vino neſcierunt , & præ ebrietate erraverunt ... Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu , ſordiumque , ita ut non eſſet ultra locus .* Sed quid Scripturarum , ac Patrum teſtimonia congero ? Vel ipſi Ethnici Scriptores comeſſationem , & potum ad vomitum uſque in Romanis helluonibus , tanquam corruptelam deteſtabilem , a qua bruta ipſa abhorrent , improbabant . Quis proinde ſibi in animum inducere poſſet , reperiri mollioris Ethices aſſertores , ſeu potius Ethices Chriſtianæ depravatores , qui contra manifeſta Scripturarum oracula , contra SS. Patrum doctrinam , contra rectam rationem ſcribere auſi ſunt , comeſſationem , qua quis , ſecluſo ſcandalo , & gravi ſanitatis damno , ſe cibo & potu ingurgitat uſque ad vomitum , & re ipſa ad vomitum ſe provocat , ut iterato epu-

lari

lari poſſit, non eſſe peccatum mortale? *Probabile eſt*, inquiunt, *ſeclùſo ſcandalo, & aliis veniale tantum eſſe, uſque ad vomitum ſe potu implère. Idque etiam, ſi quis vomat, ut iterato poſſit bibere*. Satis eſt hanc opinionem exponere, ut ſtatim intelligatur, quam ſit deteſtabilis.

Ad III. Docent quidem nonnulli Doctores moderni, *non eſſe peccatum inebriare ſe ex præſcripto Medicorum, ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit*. At in quo quæſo Medicorum libro invenerunt Doctores iſti morbum aliquem, cui curando ebrietas neceſſaria ſit? Verum etiam in caſu metaphyſico, quo ſupponatur ejuſmodi potum inebriantem eſſe neceſſarium ſaluti recuperandæ, dico, non poſſe ſumi voluntarie talem potum ſine peccato mortali. Nam juxta Apoſtolum ad Rom. 3. *non ſunt facienda mala, ut veniant bona*; quare nullo in caſu licitum eſt peccare mortaliter, etiamſi adeſſet metus vitæ amittendæ, ut colligitur ex *Cap. Sacris De iis, quæ vi, met. &c.*! *quum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere*. Atqui ebrietas procul dubio lethale eſt peccatum, ut patet ex prænotatis I. & II. loco; ergo non poteſt quis inebriari ex conſilio Medici, niſi lethalem admittendo culpam, quamvis ita ſe gerat impulſus motivo redintegrandæ valetudinis, vitandæque mortis, quam potius ferre debet, quam Deum mortaliter offendere juxta illud Chriſti Domini *Matth.* 16.

Qui enim voluerit ſalvam facere animam ſuam, perdet eam. II. Ebrietas eſt intrinſece mala, & per ſe peccatum eſt, ſicut & fornicatio, adulterium, perjurium; ergo nunquam quo vis prætextu, etiam tuendæ ſanitatis cauſſa, licita eſſe poteſt. Si enim licita foret, licitum etiam eſſet fornicari, adulterare, pejerare ad valetudinem conſervandam, mortemque evadendam. At hæc ſunt abſurda, & univerſæ antiquitati inaudita. III. Hanc recentiorum Caſuiſtarum opinionem improbavit S. Cæſarius *Serm.* 295. *in Appendice S. Auguſtini* his verbis: *Solent ebrioſi ita ſe excuſare, ut dicant: Perſona potens me coegit, ut amplius bibam; & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus, & quod implere noluimus, non potuiſſe nos dicimus.. Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibes, aut morieris; melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur*. Iterum *ſerm.* 292.: *Qui alterum cogit, ut ſe, pluſquam opus eſt, bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem occideret.*

Licitum quidem eſt infirmo, ex Medicorum conſilio, id exigente infirmitate, largiorem potum ſumere ad procurandum vomitum, ut docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 150. *a.* 2. *ad* 3., *quia tunc non eſt reputandus potus ſuperfluus*, ait S. Doctor, ita ut tamen non pervenia-

veniatur ad ebrietatem; quia, ut proſequitur S. Th., *ad vomitum procurandum non requiritur, quod ſit potus inebrians: nam etiam potus aquæ tepidæ vomitum cauſſat*. Adde, quod innumera ferme ſunt alia, quæ vomitum provocare queunt. *Et ideo*, ſubjungit, *propter hanc cauſſam non excuſaretur aliquis ab ebrietate*. Quæ ultima verba ſatis aperte indicant, exiſtimare Angelicum, a peccato mortali non eſſe immunem, qui ex Medicorum conſilio ſanitatis cauſſa ſe inebriat; quum ex ipſo ebrietas natura ſua ſit lethale peccatum. Unde ſecundum hunc ſenſum S. Doctorem intelligit, & explicat S. Antoninus 2. *p. Sum.tit.6.c.* 3. §. 2., ubi inquit: *Non excuſaretur per hoc quis ab ebrietate ſecundum Thomam, quamvis faceret cauſſa medicinæ: & per conſequens peccaret mortaliter ſumens, niſi crederet ex illo potu non poſſe inebriari: & ſimiliter Medicus, vel alius, qui hoc ſibi ſcienter conſuleret, vel propinaret hoc æſtimans*.

Opponunt contrariæ ſententiæ patroni, licitum eſſe, ſe inebriare ex conſilio Medici ad recuperandam ſanitatem, propterea quod iſthæc ebrietas formalis non eſſet, ſed materialis; quia non fieret cauſſa voluptatis, ſed ſanitatis, vel vitæ conſervandæ gratia: quemadmodum qui ex rationabili cauſſa narrat peccatum alienum, committit ſolum materialem detractionem. Diſtinctiuncula hæc ebrietatis in materialem, & formalem ad laxitatem viam aperit, & Pa-

trum doctrinæ adverſatur. Ex S. Ambroſio *lib. de El. & Jej. c. 17.* plures pro ſalute Imperatoris, Regis, Principis abundantiore potu ſe ſe ingurgitant: & qui non potant, amare, & revereri Imperatorem non videntur. Alii pro ſalute exercitus, alii pro comitum felicitate, alii pro filiorum ſanitate, alii, ut notam ſingularitatis declinent, alii connivendi gratia, alii, ne amicos contriſtent, inebriantur. *Quoniam*, inquit, *in cap. ad Tit.* Hier. poſt Ambroſ., *accuſationis occaſio eſt, adjuratum per Regem frequentius non bibiſſe*. Ebrietates iſtæ, licet a Patribus ſeveriſſime damnatæ, juxta modernos Doctores non erunt peccata; erunt enim ebrietates materiales duntaxat, non formales, quia voluptatis cauſſa non ſunt captatæ. Itaque ad ebrietatem formalem ſufficit; voluntarie ſe exceſſivo potu ingurgitare etiam ſine voluptate: culpa enim, & ratio ebrietatis ex Angelico conſiſtit in immoderato uſu, & concupiſcentia vini, in hoc ſcilicet, quod quis immoderate concupiſcat, & ſumat potum; ſed hoc ſubſiſtit, licet quis in potu excedat ſine voluptate, & delectatione, imo cui potus eſt ingratus; ergo ſi quis excedat ſanitatis gratia, formalem ebrietatem incurret. Nec officit allata paritas. Ideo enim qui narrat ex rationabili cauſſa peccatum alienum, non eſt detractor formalis, quia ad formalem detractionem requi-

quiritur detrahendi intentio, nimirum vel directa, vel indirecta, formalis, vel virtualis, aut interpretativa, quarum intentionum nulla eſt in caſu poſito. In noſtro autem caſu eſt intentio virtualis, vel interpretativa ſaltem ſe inebriandi.

Ad IV. Mollioris doctrinæ Theologi, ſeu verius morum corruptores docent, *ebrietatem nullam eſſe mortalem, niſi diu privet uſu, & potentia rationis*. Diu ergo non modo uſu, ſed etiam potentia rationis privare ebrietas debet, ut ſit peccatum mortale. Et quæ temporis longitudo requiritur? Una hora, inquiunt, videtur eſſe longum tempus. Qui vero per tres quadrantes ingurgitatus mero, & plene conſummateque ebrius abſque uſu, & potentia rationis jaceret, ut beſtia, hic venialiter tantum peccaret juxta benigniſſimos hoſce Theologos. At contra hujuſmodi Caſuiſtas peccata mundi tollentes conſtanter affirmandum eſt, ebrietatem eſſe mortalem, etiamſi ſciat ebrioſus, brevi tempore ſe uſu rationis privari: tum quia tempus ad ſummum ſpectat ad circumſtantiam peccati, non ad ejus conſtitutionem; tum quia ſequeretur, ebrietatem non eſſe ex ſe peccatum mortale, quum hoc non tranſeat in veniale ratione temporis, ſed ſolum in levius, vel gravius intra eandem ſpeciem. Itaque ſi ebrietas diu privet uſu rationis, gravior eſt, ſi per bre-

ve tempus, minus gravis, at ſemper mortalis culpa; quia ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale, ut liquet ex prænotatis 1. & 2. loco. Sed pudet in hiſce opinionum monſtris refellendis diutius immorari.

Mense Aprili.

Cyprianus filiusfamilias, poſt inita ſponſalia cum Aurelia inconſultis genitoribus, vult etiam ſine eorum conſenſu coram Parocho contrahere matrimonium.

Quæritur I. An ſponſalia inita inſciis, vel invitis majoribus invalida ſint, vel ſaltem illicita, majorumque diſſenſus ſit ratio ſufficiens ea diſſolvendi, licet fuerint juramento firmata, nec cum perſona indigna contracta; & qui veniant in hoc caſu nomine Majorum.

II. Utrum, ſi ſponſalibus additum fuerit ſtuprum, teneatur filiusfamilias ducere fœminam alias indignam, non obſtante ſcandalo atque injuria parentum, ſeu conſanguineorum.

III. Quomodo gerere ſe debeat Parochus cum filiofamilias, qui vult matrimonium contrahere ſine conſenſu parentum.

DECISIO.

Rigidiorem parentum poteſtatem in filiorum nuptiis vel eligendis, vel prohibendis plena in conjugiis requiſita libertas abhorret.

ret. Hinc merito Tridentina Synodus *de reform. matr. cap.* 1. anathemate damnat affirmantes, *matrimonia a filiisfamilias ſine parentum conſenſu contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe*. *Neque enim tenentur ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda*: ut docet Angelicus 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5. Reverentia tamen, & obſequium parentibus, ipſa præcipiente natura, debitum a filiisfamilias jure poſtulat, ut non aliter conjugia contrahant, quam ſi eorundem parentum conſenſus accedat; & proinde matrimonia ſine parentum conſenſu contracta *Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſſis ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*, ut ſubdit eadem Tridentina Synodus *loc. ſup. cit.*, & ex prædicta Angelici doctrina male quis inferret, ubi de nuptiis agitur, effræni gaudere filios libertate, & omnem prorſus in parentibus auctoritatem deficere. *Pater* enim, inquit idem S. Doctor *in* 4. *ſent. diſt.* 29. *q.* 2, *art.* 4. ,*poteſt filium ad matrimonium inducere ex rationabili cauſſa*; nec filius ſatis gravem temeritatis notam effugeret, ſi inconſultis, vel invitis parentibus nubere perfracte vellet. Id uſque adeo moribus antiquis obtinebatur, ut *etiam miles filiusfamilias, qui cæteroqui ſolemnitatibus juris Quiritum immunis fere erat, ad contrahendas ſine parentum conſenſu nuptias non admitteretur, propterea quod militia neminem a na-*

turali erga parentes obſequio liberabat: ita Berardi *comment. in jus Eccleſ. tom. 3. diſſert. 5. qu. 5.*; & ſi abſque dicto conſenſu filius, vel filia matrimonium contraxiſſet, *nuptiæ nullæ erant, nec liberi inde naſcebantur juſti, ſeu legitimi*, ut animadvertit Voet *in Pand. lib. 23. tit. 2. n. 9.* Hinc eſt, quod Cæleſtinus II., ubi decrevit parentes admittendos eſſe in teſtificationem ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum, ait: *Qui enim melius recipi debent, quam illi, qui ... ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, ſecundum leges nullum fiat matrimonium : Cap. videtur Qui matrim. accuſ., poſ. & cauſ 35. qu. 6. can. 2.* Hic Canon non Clementi III., ut in Decret. Greg. IX., & apud Natal. Alex. *th. dog. mor. lib. 2. de matrim. cap. 2. art. 3. prop. 3.*, ſed Cæleſtino III. tribuendus eſt, ut apud Berardi *in Canones Gratiani par 2. tom. 1. cap. 40.*

Omiſſa tamen diſputatione de matrimonii ſine parentum conſenſu contracti validitate juxta veteres Romanorum leges, omnibus hodie perſpectum eſt, talis conſenſus defectum conjugiorum validitati nihil obſtare: ſed quo decreto firma pronunciantur hæc matrimonia, eo ſimul tanquam illicita, atque deteſtanda prohibentur in Tridentina Synodo; quæ Concilii prohibitio cohæret, ut ſcribit Giraldi *Expoſ. jur. Pont. par. 1. lib. 4. tit. 1. ſect. 657.*, *diſpoſitioni juris naturalis ac divini ex quarto Decalogi præcepto manifeſtiſſime reſultanti*:

unde

unde prohibitio graviſſima cenſenda eſt, eo vel magis, quia ſi Fagnanum *in 4. Decret. de deſponſ. impub. cap. Tua num.* 11. conſulamus, Concilii *decretum æque improbat matrimonia clandeſtina, ac contracta invitis parentibus*. Hæc ſiquidem adeo ſunt *Sacris Canonibus inviſa, & exoſa, ut appellentur adulteria, fornicationes, & ſtupra*: Fagn. ibid. num. 22. Hæc omnia ſatis innuunt, *filios invitis parentibus nubentes mortaliter peccare, quum in re gravi illis injuriam inferant, & contraveniant præcepto divino de parentum veneratione. . . quod abſque dubio procedit ſaltem, quum pater movetur familiæ inæqualitate, vel alia juſta de cauſſa, nec filius habet legitimam cauſſam non obediendi. . . . & multo magis ſi Pater moveatur ad ſedandas periculoſas inimicitias, aut ad vitanda ſcandala, vel odia, quæ inde probabiliter exorirentur*: Fagnan. *ibid. num.* 13. *& ſeqq.* Ita ſentiunt ſaniores cum citato Fagnano, & Antoine *par.* 1. *tract. de oblig. cap.* 4. *qu.* 2. §. 3.; licet aliqui, quos legiſſe, & memorare piget, veriti non ſint aſſerere, quod ſi temeritatem filii inconſultis, vel invitis parentibus nubentis cum juſta parentum diſſenſione conjungas, non ideo lethalis, ſed venialis tantum culpæ reum filium ita nubentem debeas judicare. Talis eorum mentes invaſit opinio, quia ex S. Thoma ſuperius jam laudato filii non tenentur obedire parentibus de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda; & addere debue-

debuerant, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. eos excommunicare, qui fœminam cogunt religionem ingredi, vel profiteri, aut ſine juſta cauſſa impediunt ejus ingreſſum, vel profeſſionem: ſcire potuerant ex Urbano II. parentes non debere invitam filiam inviſo viro coacte jungere matrimonio, *ne forte virgo, quum fuerit alicui invita copulata ... aut reatum diſſidii, aut crimen fornicationis incurrat*: *Can de neptis* 31. *qu.* 2. At ex quo nequeant parentes filios pro arbitrio cogere, & ipſis debeant liberam relinquere ſtatus electionem, filii poterunt pro arbitrio nubere inconſultis parentibus? Et ſi juſte diſſentiant, vix reatum culpæ venialis incurrent non obſtante diſſenſione nubentes? Qui ita comminiſcuntur, manifeſtam juris naturalis, & divini læſionem, gravem Concilii Tridentini prohibitionem, mala ex talibus nuptiis ſæpe provenientia melius trutinari forte debuerant.

Jam vero quum certum ſit, valere *matrimonia filiorumfamilias ſine patris conſenſione contracta*; *quid dubitandum ſupereſt de ſponſalibus, quæ viam ad matrimonium parant*? ut advertit Berardi *comment. in jus Eccleſ. tom.* 3. *diſſert.* 2. *cap.* 1., qui ibidem ſubdit, quod *quemadmodum conjugia ſine parentum conſenſu contracta, tanquam naturali honeſtati ut plurimum adverſantia, ac propterea illicita, legibus etiam Eccleſiaſticis prohibentur; ita eodem modo, tanquam*

quam illicita, habenda ſunt ſic celebrata ſponſalia, in quibus honor parentibus debitus non præſtatur. Ex his facilis eſt ad poſtulata reſponſio.

Ad I. Si filiusfamilias ex juſta, & rationabili cauſſà parentes nec conſulat, nec certiores reddat, quia furioſi, vel quia abſentes ita ſint, ut ignoretur, an ſint, vel ita diſtent, ut ſine gravi incommodo ipſos admonere non poſſit, & aliunde promittit filiæ, cujus conditionem credit parentes non repudiaturos, Genet. *tract. 9. de matrim. cap. 8.*, ſponſalia valida ſimul, & licita cenſentur: ita quoque, ſi filio ſponſam moribus indignam pater eligeret, & ut hanc abſolute duceret, alias matrimonii promiſſiones improbaturum ſe profiteretur, filius etiam licite honeſta ſponſalia, patre ita diſſentiente, contraheret. Contra vero ſi filius inſciis, vel inconſultis parentibus ſponſalia contrahere temere vellet, valida quidem erunt, ſed illicita, & deteſtanda, parentumque diſſenſus ſufficiens eſt ratio ſponſalia diſſolvendi. *Unum adhuc, inquit Engel. lib. 4. tit. 2. §. 2. num. 11., notabile placet hic adſcribere, quod licet diſſenſus patris non invalidet matrimonium jam contractum, ſi tamen ſola ſponſalia jam contracta ſint, & inde ex parentum diſſenſu &c. . . . . . . poſſit Judex Eccleſiaſticus tale matrimonium prohibere, & ſponſalia irritare, quum virtus juſtitiæ non obliget ad actum peccaminoſum, ex*

quo

quo notabiliter læditur charitas proximi, parentum pietas, & cognatorum amicitia diſſolvitur, ſicuti docent &c. Omiſſa controverſia, ſubdit Benedictus XIV. *Inſtit. 46., utrum ſponſalia ſine parentum conſenſu vim habeant ..., certiſſimum tamen eſt, ipſa illicite fieri, culpam admitti, cognitaque parentum diſſenſione ſolvi poſſe, licet jusjurandum interceſſerit*. Ineptiſſime ſane quis contra ſentiret hac ſola futili ratione ductus, quod ſcilicet parentum diſſenſus non reperiatur in vulgatis verſiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonium impedientia. Hac ipſa ratione ducti opinari non dubitarunt aliqui, neminem poſſe a matrimonio cohiberi hanc ſolam ob cauſſam, quod doctrinam chriſtianam ignoret; quam opinionem improbat Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 8. cap. 14.*, licet doctrinæ chriſtianæ ignorantia in dictis verſiculis inter impedimenta non inveniatur, ſicuti nec invenitur omiſſio publicarum denunciationum juxta Conſtitutiones Lateranenſis, & Tridentini Concilii. Auctores ergo verſiculorum plurima omiſere, quæ erant neceſſario recenſenda; unde *recenſere etiam debuiſſent diſſenſum patris in conjugio a filiisfamilias contrahendo; etenim Sacri Canones, licet firmum eſſe adſerant matrimonium a filiisfamilias diſſentiente patre contractum, illud tamen improbant, ac damnant.* Ita ad rem clariſſimus Berardi *comment. in*

Jus

Jus Eccl. tom. 3. *diſſert.* 4. *cap.* 7. *qu.* 1.; ex quo pariter edocemur, quinam veniant in hoc caſu nomine parentum: *Parentum nomen*, inquit ipſe *cit. tom.* 3. *diſſert.* 5. *qu.* 1., *in hac re multo latius juxta naturalem honeſtatem, quam juxta civilis juris effectus intelligitur. Etenim natura, quæ generaliter rationem habet reverentiæ, & obſequii in parentes præſtandi, eos omnes complectitur pro uniuſcujuſque gradu, & modo, quibus obſequium debetur; ac propterea etiamſi pater filium emancipaverit, vel etiamſi de matre agatur, de avis quoque ſeu paternis, ſeu maternis, conſenſio illorum erit eatenus adhibenda, quatenus invicem non repugnent, & eo honeſtius, quo propius attinguntur, vel quo majus etiam obſequium unicuique debetur*. Quibus addendi ſunt tutores, ſeu curatores vice parentum conſtituti. Natal. Alex. *Theolog. dog. & mor. lib.* 2. *cap.* 2. *art.*3. *reg.* 2. *Non idem tamen dicendum eſt de curatoribus minorum ſive maſculorum, ſive fæminarum, qui ſcilicet jam pupillarem ætatem exceſſerint: ſiquidem curatoris officium præcipue ſpectat rerum adminiſtrationem .... quamobrem rite minores ſine conſenſu curatorum ſponſalia contrahent L.* 20. *ff. de ritu nupt., quod mera perſonalis obligatio in propoſito verſetur; quamquam curatoris officium deſideretur in dote conſtituenda, ſimilibusve juribus, quæ res eorumdem minorum afficiunt*. Verba ſunt Berardi *comment. in Jus Eccleſ. citat. tom.* 3. *diſſ.* 2. *c.* 1.

Ad

Ad II. Diſpoſitioni capitis primi de Adulteriis & Stupro, qua ſeducens, & ſtuprans virginem ad eam dotandam & ducendam compellitur, acceſſit uniformis interpretum conſenſus, ac ubique recepta conſuetudo, qua virginem ſtuprans hanc dotare, vel ducere tenetur. Quod ſi eam vel vera, vel ficta matrimonii promiſſione decepit, non ſatis erit injuriam pecunia compenſare, ſed tenebitur ipſam volentem ducere: Engel *lib.* 4. *tit.* 1. §. 2. *n.* 13., *& lib.* 5. *tit.* 16. §. 2. Si ergo Cyprianus Aureliæ matrimonium promiſiſſet, eamque ſtupraſſet, eidem nubere teneretur. At *nulla eidem ſtupratæ competit actio, niſi promiſſionem legitime, & concludenter probaverit: ſicuti nec ſi eſſet diſparis conditionis cum deflorante, ita ut ex matrimonio ſic contracto oriretur grave aliquod ſcandalum, aut conſanguineis ignominia, licet promiſſionem concludenter probaret: firmo tamen remanente onere in deflorante refectionis damnorum favore partium, prout de jure*. Ex hac clariſſimi Giraldi doctrina *expoſ. Juris Pontif. part.* 1. *lib.* 5. *tit.* 16. *ſect.* 835. Cyprianus non tenetur ſtupratam ducere, quia indignam, & propter ſcandalum, & injuriam parentum.

Ad III. Parochus filiumfamilias matrimonium contrahere volentem, quin parentum conſenſus accedat, nihil omittere debet, ut ad meliora revocet conſilia, ut fuit in plu-

in pluribus Synodis expreſſe ſancitum. Vid. Genet. *tract. 9. de matrim. cap. 8. qu.* 4.; & Benedictus XIV. mandavit Epiſcopis, ut perſonarum matrimonium contrahere volentium diligens fieret ab ipſis inquiſitio: *An ſint filii familias, quorum nuptiæ patri juſte diſſentienti ſint inviſæ*: *Ab epiſcopali enim*, ait, *quod geritis, munere nimium eſſet alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occaſionem: in Conſt. Satis vobis an.* 1741. 17. *Novembris*. Idem Pontifex mandavit Parochis, *ut antequam denunciationes de ineundo matrimonio publice in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia fiant, ipſi tum ſponſum, tum ſponſam ſeorſim caute, & ut dicitur ad aurem explorare ſtudeant... de conſenſu ne parentum filii, filiæque familias contrahant*; & ſi hunc deficere deprehenderint, ſuſpenſis interea denunciationibus, *id deferre teneantur ad proprium Antiſtitem, qui, prout res poſtulaverit, pro auctoritate, muneriſque ſui debito opportune provideat: in Conſt. Nimiam licentiam ann.* 1743. 18. *Maji*.

Mense Majo.

I. Confeſſarius poſt auditam confeſſionem mulieris accedit ad ejus domum, ibique, aut in itinere illam ſollicitat. II. Alter Confeſſarius a muliere, cujus audit confeſſionem, exquirit domum, in qua habitat; ſe-

ſequenti die ad eam domum accedit, & mulierem ipſam ſollicitat. III. Theopompus, ut Plautillam facilius alliciat ad peccandum, ſerio affirmat, quoſcunque actus inhoneſtos, ipſamque fornicationem non eſſe peccata.

Quæritur I. An Confeſſarii, de quibus in 1. & 2. caſu, & Theopompus, de quo in 3., Judicibus Eccleſiaſticis ſint denunciandi.

II. An ante denunciationem aliqua fraterna correctio, vel monitio præmitti poſſit, aut etiam debeat.

III. Quibus pœnis ſubjaceant perditi homines, qui innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulant.

DECISIO.

QUoad primam partem primi Quæſiti diſcrepant inter ſe Theologi. Carena enim *de Inquiſ. p. 2. tit. 6 num. 30.*, Del Bene *de Officio S. Inquiſ. p. 2. ſect. 39. dub. 287. n. 16.*, aliique negativam defendunt ſententiam; eorumque ratio eſt, quod clauſula *immediate poſt*, quæ extat in conſtitutionibus Gregorii XV.,& Benedicti XIV., videatur rejicere quodcunque medium inter confeſſionem, & ſollicitationem; ideoque inferunt, quod ſollicitatio expleta in itinere, ſive in domo Pœnitentis nullo modo dici poſſit ſequuta immediate poſt confeſſionem. Alii vero tuentur ſen-

ſententiam affirmativam; quum ea clauſula *immediate* moraliter ſit accipienda, non phyſice, & non inſiſtendum in cortice verborum, ſed attendenda ſit ratio, quæ legum eſt ſpiritus juxta vulgare principium, & ut docent communiter utriuſque Juris civilis, & canonici Doctores, qui referuntur in *Deciſ. Sicul* impreſſa apud Cardinalem De Luca *de Feud. num.* 285. Mens autem Pontificum in laudatis Conſtitutionibus eſt ſervare reverentiam Sacramento Pœnitentiæ debitam, ſaluti animarum proſpicere, ſceleſtorum Sacerdotum improbitatem cohibere; quæ fruſtra ſperarentur, immo late aperiretur via eludendi legem, ſi pro phyſico tantum ſignificato deberet uſurpari tò *immediate*. Probabilior eſt igitur, magiſque tuta, ac in praxi ſequenda ſecunda Theologorum ſententia, ne prædictæ Conſtitutiones ſint fruſtatoriæ. Accedit, quod moraliter idem exiſtimatur, aliquid fieri in confeſſione, ac paullo ante, vel paullo poſt confeſſionem juxta doctrinam Bartoli in *L. Penul. Mulier*, *& in Si vero intra auth. de Monachis*, *& in L. Divortia Interdum*, Abbatis *in cap. Eccleſia de immunit. Eccleſ. Notabil.*, 3. Cepollæ *in tract. Simulatorum contract.* in 2. caſu circa principium; & colligitur ex *leg. Cum antiquitas Cod. de Teſtam.*, *ex leg. Nunquam de Judic.*, in quibus dicitur, quod ea, quæ fiunt paullo poſt, vel paullo ante

ante, habentur pro eodem actu: & juxta doctrinam Baldi *in L. Si impuberi de Tut. & Curat. n. 2.*, *& in leg. Penultima §. de Militar. Teſtam.*, ubi ait, *id, quod proxime eſt faciendum, habendum eſſe pro facto*. Patet etiam ex *leg. 1. §. D. Adrianus, §. Ad leg. Cornel. de Sicariis, ex leg. Qui plane §. Divus Pius, & ex Regula juris: parum pro nihilo reputatur*, & tandem ex iis, quæ adducit Tiraquel. *de Retr. Convent. par. 2. §. 1. gloſſa 4 & 5. n. 23.* Hinc ipſe Felix Poteſtas *tom. 2. par. 3 q. 1. n. 303.*, licet videatur inclinare in oppoſitam ſententiam, tamen prope finem affirmativam amplectitur, inquiens: *Cæterum opinio affirmativa valde mihi arridet, ſi ſollicitatio contingat eodem die*. Et ſane ſi Bordonus *in Manual. ſect. 25. n. 38.* ſuſtinet ex ſancitis in *leg. Quod ait 23. §. 4. Dig. ad leg. Jul. de adulter.*, id dicendum eſſe immediate fieri, quod fit intra horas viginti quatuor; quanto magis affirmari poteſt in præſenti caſu, ſollicitationem perpetratam fuiſſe immediate poſt abſolutam confeſſionem: eo vel magis, quod ea verba: *aut in itinere*, innuere videntur, eum poſt receſſum mulieris a confeſſionario parum aut nihil divertiſſe ad actus externos. Quapropter Ubaldus Giraldi ex Cl. RR. Scholarum Piarum in ſua Expoſitione Juris Pontificii *par. 1. pag. 637.* Romanæ editionis exponens ea verba Bullæ: *Vel ante, vel immediate poſt.*, ait; *Communior opinio*

eſt

eſt, hac quoque lege comprehendi, qui pænitentem deinceps ſequatur, eamque vel in itinere, aut domi ſollicitet: Is enim ſecundum prudentum judicium ſtatim poſt confeſſionem ſollicitaſſe diceretur; quia cum primum potuit, præconceptum in confeſſione de ſollicitando deſiderium executioni demandavit. Concludendum igitur, Confeſſarium, de quo in caſu, reum eſſe ſollicitationis, adeoque denunciandum. Utinam hæc opinio foret in praxi: extirparetur enim deteſtabilis abuſus hujus nefandi ſceleris.

Quoad ſecundam partem, non video, quare Confeſſarius ille ſit denunciandus, quia exquiſivit a muliere domum, in qua habitat. Quis enim, niſi ſit ſcrutator cordium, velit illam interrogationem factam fuiſſe cauſſa ſollicitandæ mulieris? Solus Deus eſt, qui probe intima noſtri cordis penetrat. Dato tamen, quod illa interrogatio facta fuerit ob pravum finem; ſi de occultis non judicat Eccleſia, licebitne ſpiritui privato judicium efformare? nequaquam ſane. Idcirco ex quo Sacerdos exquiſierit domum habitationis mulieris, quam deinde ſequenti die ſollicitavit, nullatenus erit denunciandus. Accedit, ab omnibus eſſe receptum, Confeſſarii factum, vel dictum, quod ex ſua indole, & natura ſimplicem dubietatem involvit, malitiam ſollicitationis non continere, pro qua urgeat denunciandi præceptum; ex ea ratione, quod *in*

dubio favorabilior interpretatio ſit facienda, neque Sacerdos. privandus ſit fama, quam poſſidet juxta ſancita per *text. in leg.* 153. *dig. de Reg. Jur.*, *& in Cap. Ex regula de Reg. Juris in 6.*, quos textus ponderat Ligor. *n.* *602.*, & ex Sanctis Auguſtino, & Thoma probat Antoine *de Juſt. & Jur. cap.* 4. *q.* 1. Etenim lumine naturæ edocemur, in dubio delictum non eſſe præſumendum, neque bonum nomen Sacerdotis fore lædendum ex relatis Juribus, & auctoritatibus a Canoniſtis, & Juriſtis admiſſis, ut eſt manifeſtum. Neque valet aſſerere: Confeſſarius ſequenti die domum adivit, & mulierem ſollicitavit; ergo illa interrogatio tendebat ad Venerem. At id nemo novit, niſi Deus, cui nihil occultum. Nonne cogitatio ſollicitationis oriri potuit decurſu diei, & in ipſa ſequenti die? Poſito etiam, interrogationem factam fuiſſe animo revera adeundi domum ſequenti die, mulieriſque tentandæ; tamen, quum id mulieri non manifeſtaverit, dici nequit, ipſam in confeſſione ſollicitaſſe. Ut enim inquit citatus Giraldi exponens ea verba Bullæ Benedicti XIV.: *vel occaſione, aut prætextu confeſſionis* loco ſuperius citato, *Notandum eſt, ex praxi tribunalis Inquiſitionis non intelligi*, immediate poſt *Confeſſarium ſollicitaſſe, ſi poſt integrum tranſactum diem tractatus, aut actus inhoneſtos habuerit cum pœnitente, dummodo nullo modo in confeſſione pravum ſuum animum*

mum indicaverit: *quum tunc verificari non videatur illa particula*: immediate poſt. Verum in caſu præſenti integra dies a confeſſione tranſacta eſt, & Confeſſarius nullo modo in confeſſione pravum ſuum animum manifeſtavit; ergo reus non eſt ſollicitationis, ideoque nequaquam denunciandus.

Quoad tertiam ejuſdem dubii partem, videtur abſolute Theopompus denunciandus. Serio enim affirmare, quoſcunque actus inhoneſtos, ipſamque fornicationem non eſſe peccatum, crimen eſt ſapiens hæreſim; ergo denunciandus: in fide enim ſuſpectus eſt, & juxta decreta Clementis VIII., & Paulli V. debet denunciari, ut notant Cozz. *dub.* 3. *n.* 16., Viva *in notis ad theſ.* 40. damn. ab Alex. 7. *n.* 10., & Del Bene *de offic. Inquiſit. par.* 2. *dub.* 237. *num.* 17., ubi refert plures Theologos idem affirmantes. Nec quis dicat, Veneris impetu abreptum id aſſeruiſſe Theopompum. Quis hoc novit, niſi Deus, cujus eſt de internis judicare? Homo judicat de externis: aſſeruit; ergo reus propoſitionis redolentis hæreſim; ergo jure meritoque aſſertor eſt denunciandus.

Secundum hujuſce caſus dubium eſt: num ante denunciationem fraterna correctio præmitti poſſit, aut debeat. De fraterna correctione præſcripta in Evangelio apud S. Matth. agunt Moraliſtæ, & præſertim Emin. Albitius

de inconſtantia in fide cap. 9. pag. 401. num. 28., *&* Cozz. *in dub. ſelect. dub.* 16. Verum pro reſolutione quæſiti audiendus eſt immortalis memoriæ Pontifex Benedictus XIV. qui *de Synodo Diæceſana lib. 6. cap.* 11. *n.* 7. ait: *S. Thomas* 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *in corpore docet, in criminibus etiam occultis fraternam correctionem judiciali denunciationi minime præmittendam; quinimmo illa confeſtim Judici deferenda eſſe, quoties ejus generis ſint, ut etiam in occulto ad ſpiritualem tendant proximorum perniciem, quemadmodum in hæreſis crimine evenire non dubitatur. Præterea Sylvius ad cit. art. 7. concl. 3. certas quorundam Regularium Ordinum Conſtitutiones, tanquam juſtitiæ conſonas, tuetur, quæ ſtatuunt, delicta quædam, abſque prævia correctione fraterna, Superiori ſtatim denunciari debere. Quod vero plurimum refert illud eſt, Alexandrum VII. die 8. Julii an. 1660. illorum reprobaſſe opinionem, qui docebant, crimina ad S. Officii juriſdictionem ſpectantia denuncianda illi non eſſe, niſi correctio fraterna præceſſerit. Nec ſilentio prætereundum quod ex prævia admonitione, quæ a ſollicitato ante denunciationem fit ſollicitanti, juſtitia vindicativa non leve patitur detrimentum. Etenim ſi reus ad ſe accuſandum coram Tribunali compareat, antequam ſollicitatus ad illum denunciandum accedat; ex conſueta Tribunalis pietate tanquam ſponte comparens ſalutaribus tantum impoſitis pænis dimittitur .... Dubitari nequit,*

quit, quin allata rationum momenta aliquam vim præſeferre videantur. Verum, cum nulla lege, aut decreto prohibitum ſit, quominus ſollicitantem ſollicitatus admoneat, ut, quoniam ab eo denunciandus eſt. interea temporis cavere ſibi feſtinet; optimum factu viſum eſt, Præſulibus ſignificare, ut a quocunque Edicto, vel Synodali Conſtitutione ſuper hoc promulganda ſe ſe abſtinerent, remque totam intactam relinquentes, non quidem approbarent eorum agendi rationem, qui delinquentem Confeſſarium ante denunciationem monendum cenſebant, ſed neque eam improbarent; cum in quibuſdam rerum circumſtantiis hujuſmodi admonitio pernicioſa eſſe, & pravos effectus producere valeat; in aliis autem proficua eſſe poſſit: ſiquidem, ut ſæpe experiendo dignoſcitur, vix unquam ſollicitatus adduci poſſet, ut ſollicitantem denunciaret, niſi liberum illi eſſet eumdem antea admonere. Ex quo ſequitur, ut id, non ab Edictis, aut Conſtitutionibus, verum a ſpiritualium directorum prudentia definiri debeat. Diximus, nullam hactenus legem, nullumque decretum adeſſe &c. Verum duos caſus diſtinguamus oportet. Alter ad illum pertinet, qui denunciare omnino recuſat, quia ſecretam admonitionem ſatis ſuperque eſſe cenſet; vel recuſat ad tempus, propterea quod nondum fraterne reum denunciandum admonuit: idque ab Alex. VII. damnatur, qui non ideo quemquam ab onere denunciandi immunem fore decernit, quia fraternam correctionem non antea præmiſerit. Alter caſus

eſt de eo, qui reum quidem admonet, verum non idcirco ab eodem denunciando ſe abſtinet. Hoc autem eſt, quod nulla adhuc lege, aut decreto vetatur; cum ſic & correctionis naturale præceptum, & ſimul denunciationis poſitivum adimpleatur ..... Nec obſtare videtur ſupra indicatum juſtitiæ vindicativæ detrimentum. Eccleſiaſtica enim Tribunalia miſericordiam æque, ac juſtitiam fovent; atque id præcipue ſpectant, ut delinquentes ad bonam frugem convertantur. Hactenus ſunt verba laudati Summi Pontificis, ex quibus dubium patet reſolutum; & hæc ipſa reſolutio conſona eſt iis, quæ, eodem Benedicto XIV. præcipiente, reſcripſit Commiſſarius S. Officii Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Joſepho De Saporitis Archiepiſcopo Januenſi Pontificis conſilium ſuper hoc dubio poſtulanti. *Vid. Inſtruct. Paſtor. ejuſdem Archiepiſcopi par. 1. §. 11. prope finem p.* 109. *nov. edit. ann.* 1766.

Quoad III. dubium Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ* 1. Junii an. 1741. §. *Et quoniam* hæc habet: *Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſſa commoti, vel aliarum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulant: ut igitur tam nefaria*

ſaria audacia , & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur , quæcunque perſona , quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit , vel per ſe ipſam innocentes Confeſſarios impie calumniando , vel ſceleſte procurando , ut id ab aliis fiat , a quocunque Sacerdote , quovis privilegio , auctoritate , & dignitate munito , præterquam a Nobis , Noſtriſque ſucceſſoribus , niſi in fine vitæ , & excepto mortis articulo , ſpe abſolutionis obtinendæ , quam Nobis & ſucceſſoribus prædictis reſervamus , perpetuo careat . Ex hactenus relatis verbis Bullæ Giraldus *par. 1. ex lib.* 5. *Decretalium tit.* 2. *de Calumniatoribus ſect.* 749. ita infert : *Nota quod dictus caſus eſt Papæ reſervatus , etiam poſt factam a falſo accuſante retractationem .* En reſolutum dubium quoad forum internum pœnitentiæ . Relate ad forum externum , mulctandos eſſe hujuſmodi calumniatores pœna talionis præſcribunt Summi Pontifices , & præſertim Gregorius IX. *in cap. Cum fortius , & cap. Cum dilectus de Calumn.*, ut advertit Gloſſa *in cap. 1.*, ibique Abbas Panormitanus, quibus conſonat Imperator Juſtinianus *in leg.* 1. *Cod. eod. tit.* Si vero in accuſatorem ob qualitatem perſonæ cadere non poſſet pœna talionis , in conſimilem pœnam eſſe damnandum , diſponunt dicta jura Canonica , quod affirmant Gloſſa , & Abbas in locis ſuperius citatis .

MEN-

MENSE JUNIO.

LUcillus Parochus, facto jam magno ex Beneficii ſui fructibus nummorum cumulo, Sorori ſuæ ſplendidam dotem fecit, & ſuo Nepoti reliquos reſervavit.

Quæritur I. An Lucillus ſit tutus in conſcientia.

II. An reſtitutioni obſtrictus ſit Lucillus, itemque ejus Soror, & Nepos.

III. An ſaltem poſſit Lucillus tuta conſcientia ex bonis parſimonialibus, vel ex bonis quaſi patrimonialibus, ipſi ſcilicet provenientibus ex Miſſarum ſtipendio, concionum, cantus &c., conſanguineos augere.

DECISIO.

UBerrimam, quæ hic in medium profertur, de re beneficiaria materiem quoniam compendiaria Deciſionum collectio fuſe, ac pro dignitate pertractari non patitur, paucis omnia, quæ in caſu quæruntur, reſolvam oportet. Quoad I. ergo negativæ parti adhærendum. Cujuslibet enim Eccleſiaſtici beneficii fructus, nummive ex illo congeſti tum naturali, tum divino, tum etiam Pontificio jure miniſtris in primis Eccleſiæ congruenter alendis, piis inde, ſacriſque

que duntaxat uſibus addicti ſunt; quapropter & in Conciliis, & apud SS. PP., graviſſimoſque Doctores paſſim nuncupantur *res Dei, patrimonium Chriſti, & pauperum, vota Fidelium, pretia peccatorum*, a Fundatoribus nimirum, aut amplificatoribus eorundem beneficiorum eo tantum fine, ac propoſito elargita, ut ſuorum criminum veniam, animarumque ſalutem, & requiem a Deo conſequantur, ceu expreſſiſſime *Can. Pontifices 3. cauſ.* 12. *Ille, qui donat, pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur*.

Neque ex adverſo reponendum, id de bonis Eccleſiæ oblatis olim verificatum, quum nondum erecta erant beneficia, parſque Eccleſiaſticis congrue ſuſtentandis debita adhuc permixta portioni pauperibus, ſeu pio alii uſui erogandæ; ſecus vero impræſentiarum, erectis ſcilicet beneficiis, factaque jam ejuſmodi bonorum diviſione. Siquidem, ut legere eſt in I. Provinc. Concilio ſub S. Carolo Mediolani congregato, *quæ bona Fidelium pietas Deo conſecravit, ubi primum Eccleſiæ bona eſſe ceperunt, eam naturam & conditionem conſecuta ſunt, ut in alium, quam in ſacrum, & pium uſum eorum fructus converti nefas eſſet.* Quocirca Œcumenica Tridentina Synodus, poſt inſtituta beneficia, factaque jam prælaudata diviſione, citra dubium celebrata *ſeſſ.* 25. *de re-*

de reform. cap.. 1.. Beneficiatis quibuslibet diſtricte vetuit, ne redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos ditare unquam autument. Non ergo tutus in conſcientia Lucillus, qui fructus hoſce, ſeu nummos in uſus profanos, partim videlicet in ſplendidam Sororis dotem contulit, partim ſorti Nepotis augendæ reſervavit. Fecit equidem ſuos hujuſmodi fructus Lucillus, debito Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſervitio præſtito; at quo ſenſu? Non alio certe, ſi inſontem velit conſcientiam ſervare, quam eo, quem Panormitanus *in cap. Quum eſſes 10. de teſtam.* luculenter expreſſit his verbis: *Clericus, recipiendo fructus beneficii ſui, dicitur illos facere ſuos quoad hoc, ut ſibi provideat primo, & de ſuperfluis diſpenſet in uſus pios; non autem ut de ipſis poſſit teſtari, vel pro libito voluntatis facere; & ſic debent intelligi omnia jura, quæ videntur velle, quod Clerici ſint domini fructuum; ſcilicet quoad diſpenſationem.*

Alterum quæſitum affirmative ſolvendum cenſeo nedum relate ad Parochum Lucillum, verum etiam ad Sororem, & Nepotem illius; modo iiſdem certo conſtiterit, nummos eorum gratia vel impenſos, vel reſervatos non aliunde, quam ex Lucilli beneficio profectos eſſe. Ac Lucillus in primis, quum ex mox laudato Panormitano beneficii fructus fecerit ſuos ea indeclinabiliter adjecta lege, quod

quod qui ſuperfuerint congruæ ſuæ ſuſtentationi, illos in pios uſus diſperſet, præter charitatem, ac religionem certe & juſtitiam violavit, ſicus omnino ſe gerens. Reſtituere igitur adſtrictus eſt, ſeu tantundem de bonis patrimonialibus in pias cauſſas refundere, quantum carni, & ſanguini nimium indulgens & ſorori contulit, & ſervavit nepoti: quo pacto foret hæredi de proprio refundendum, qui legato tali uſui, ſeu tali perſonæ ſolvendo gravatus, illud in alia pro arbitrio diſtraheret; aut eleemoſynario, qui de pecunia ſibi concredita aliter diſponere auderet, ac a Principe, ſeu a divite viro ſibi fuiſſet injunctum. Atque huic aſſertioni inter alios permultos conſentit aperte S. Raymundus inquiens *in Sum. tit. de raptor. §. 8.*: *Prælatos, & Clericos, qui bona eccleſiaſtica conſanguineis conferunt, non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant divites de patrimonio Crucifixi, raptores eſſe, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium*. Eandemque ſententiam præclaræ mem. Benedictus XIV. *de Syn. Diœceſ. lib. 7. tutiorem eſſe* affirmat, *in praxi conſulendam, ab innumeris auctoribus propugnatam*; quanquam conſultius alioquin eſſe doceat, quod nihil circa illam in Synodalibus Conſtitutionibus Epiſcopi definiant; *ne ipſæ Conſtitutiones viribus careant, aut earundem executio per interpoſitas appellationes retardetur*.

Ne-

Neque vero a reſtitutionis onere Lucilli ſororem, ac nepotem exemptos, ut ajebam, crediderim. *Mile recipientes* (ait fidiſſimus prælaudati S. Raymundi ſectator D. Antoninus *par. 3. ſumm. Theol. tit. 17. quæſt. 4.*) *a perſonis Eccleſiaſticis, videlicet de fructibus, & eleemoſynis beneficiorum, ut .... Conſanguinei, non ratione indigentiæ, ſed parentelæ.... tenentur reſtituere, non quidem illi, qui turpiter dedit, ſed auctoritate Superioris convertere in utilitatem illius Eccleſiæ, vel pauperibus erogare.* Ac ſane nummi, quos ſui tantum beneficii contemplatione Lucillus congeſſit, utpote quod bona vera Eccleſiaſtica evaſerint, hac ſtatim conditione affecti ſunt, quam *Can. Relatum* 12. conceptis terminis expreſſam deprehendimus: *Clericorum bona intuitu beneficii acquiſita penes Eccleſiam cuncta debeant remanere*, uſibus profecto non aliis, quam piis ac ſacris devovenda. Quovis igitur titulo ſorori, ac nepoti Lucillus donarit, ea ab iiſdem in Eccleſiæ utilitatem, in adjumentum Pauperum refundantur, fas eſt; quum *res quælibet* (ut leges ferunt tam canonicæ, quam civiles) *ad quamcunque perſonam tranſeant, ſuo ſimul cum onere tranſire debeant.*

Quod attinet tandem ad III., ſi bona parſimonialia illa ſunt, quæ beneficiarii ex redditibus mere eccleſiaſticis, congruæ ipſorum ſuſtentationi deſtinatis, parcius vivendo, fru-

frugaliuſque, quam licite poſſent ſecundum eorum ſtatum, officium, dignitatem, ordinem, ac qualitatem beneficii, quod obtinent, ſibi adimunt, & congerunt; meo quidem judicio clare liquet, iiſdem non poſſe tuta conſcientia Lucillum ſuos conſanguineos augere. Iſtiuſmodi ſiquidem parcimoniæ, tametſi ex bonis deciduæ, quibus Beneficiarius in congruam ſui ſuſtentationem uti licite poteſt, non deſinunt proptera bonis vere eccleſiaſticis accenſeri, ſeu veram bonorum portionem eſſe, quæ a piis Donatoribus in Dei cultum, in animarum ſalutem, in criminum ſuorum redemptionem oblata fuere. Non ergo fas ac liberum Lucillo, eas ad conditionem ſuorum conſanguineorum, ſeu ad pompam, & luxum eorundem augendum pro arbitrio transferre.

Si forte reponatur, ad haſce congerendas parcimonias tam arctam Lucillum vitam ducere, ut vix, aut ne vix quidem congruam ſibi ſuſtentationem reſervet; quid illi exinde juris? Hac fortaſſis de cauſſa bona, quæ ſemper Eccleſiæ ſunt, & apud Eccleſiam ſervanda, in profanos uſus citra culpam inſumet? Piiſſimæ potius donantium menti adverſatur, qui eo potiſſimum fine ſua olim bona elargiti fuere, ut iiſdem Beneficiarius ſeſe congrue ſuſtentans, nihil unquam indecorum, nihil vile, nihil ſuo ordini, ac dignitati diſcordans committat,

Aliquam equidem moderatam fructuum ſuorum beneficiorum portionem poſſunt Beneficiarii ſuis conſanguineis vovere. At id vel ipſæ Eccleſiaſticæ leges iiſdem indulgent, ut illi ſubleventur, ſiqua forte premantur egeſtate; neutiquam vero, ut ad commodiorem, ſplendidioremque ſtatum extollantur; *Neque enim propterea te Domino dedicaſti, ut tuos divites facias:* ſic in *Can. Eſt probanda 16. diſt. 87.* Beneficiarius quiſque commonetur.

Quandoquidem autem & quoad bona quaſi patrimonialia habendus ſermo; in illis eadem lege, qua in parſimonialibus, obſtringi Lucillum affirmo, ubi intuitu ſolum ſuæ Eccleſiæ, ſuive beneficii talia ad ipſum bona pervenerint; idque ex eo erui facillime reor, quod *Cap. Quia nos 3. de Teſt.* ſancitum legimus: *De his, quæ conſideratione Eccleſiæ, ſeu beneficii perceperunt Clerici, nullum poſſunt facere teſtamentum.* Eademque firmiſſime, jugiterque ſtat ratio, quia bona videlicet id genus non beneficiarii perſonam, ſed Eccleſiam beneficiario concreditam, aut illius beneficium, attenta, uti par eſt, peculiari elargientium ordinatione, unice videntur reſpicere.

Reliquum itaque Lucillo hoc tantum eſt, quod ſuos augeat de quaſi patrimonialibus, quæ ad ipſum pleno jure pertinent, non ad ſuam Eccleſiam, ſeu quæ tametſi

bene-

beneficio, quod obtinet, non eſſet inſignitus, aliqua nihilominus ex memoratis in Caſu rationibus ſibi ipſe comparaſſet. Non enim hæc bona vere eccleſiaſtica putanda ſunt, nec a profanis proinde uſibus omnino ſubtrahenda. Hinc illud Synodi Toletanæ relatum in *Can.* 2. 12. *q.* 3.: *Quicunque de Sacerdotibus, vel miniſtris pro ſui utilitate, atque amicitia, vel præſtatione, aut quocunque modo, aut per ſcripturæ ſeriem aliquid meruerint accipere, in rebus Eccleſiæ non poterit numerari*; & Synodi Carthaginenſis ſub Siricio Papa: *Si ipſis* (videlicet beneficiariis) *aliquid pro liberalitate alicujus, vel ſucceſſione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruit*. At hic diutius immorandum non duco.

Mense Julio.

Lambertus, cui gravis a Confeſſario impoſita fuit pœnitentia, alium adit Confeſſarium, ut eam commutet; imo ut leviorem accipiat, priore confeſſione occultata, iterum confitetur.

Quæritur I. An Confeſſarius teneatur ſemper convenientes imponere pœnitentias; & quænam ſint convenientes, & inconvenientes.

II. An Pœnitens poſſit aliquando recuſare pœnitentias, quas ipſi Confeſſarius impoſuit.

III. An, & quomodo poſſit alius Confeſſarius mutare pœnitentiam; & num rite ſe geſſerit Lambertus in ſecundo caſu, valeatque, relicta prima pœnitentia, ſecundam, quæ levior eſt, peragere.

DECISIO.

AD I. reſpondeo, nulli dubium, ſemper convenientes imponendas eſſe a Sacerdote pœnitentias. Hoc unanimi conſenſu docent Patres, & Concilia: *Debent ergo Sacerdotes Domini*, inquit Tridentinum *ſeſſ. 14. de Pœnit. cap. 8.*, *quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere*. Hoc judicii ratio poſtulat, ad cujus normam inſtitutum eſt Pœnitentiæ Sacramentum. Nec ejuſmodi pœnitentiæ impoſitio omitti poteſt intuitu pleniſſimæ Indulgentiæ. Siquidem Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Inter præteritos, 3. Decemb. 1749. n. 65.* ſtatuit, abſolute *ſalutarem pœnitentiam a Confeſſario injungendam eſſe Pœnitenti, etiamſi hic ad recipiendum Jubilæum præparatus ſit*. Convenientes autem Pœnitentiæ illæ dicendæ ſunt, quæ a Sacris Pænitentiæ Canonibus, quantum infirma ætas noſtra patitur, directionem ſumunt: inconvenientes vero, quæ nullam habent cum Sacris Canonibus proportionem. Etenim ſi omnia, quæ ad Pœnitentiæ mo-

dum

dum pertinent, non prudentia ſolum, ac pietate, ſed juſtitia etiam metienda ſunt, certe norma hæc a Canonibus Pœnitentialibus ſumatur oportet. Sunt namque ii, quaſi regulæ quædam, quibus tum ad culpæ commiſſæ gravitatem recte dignoſcendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Sacerdotes dirigantur. Ita cum S. Carolo Borromæo ſtatuunt Epiſcopi univerſi, quorum Concilia, & Inſtitutiones collegit Benedictus XIV. *de Syn. Diæc. lib. II. cap. 11.*, & confirmat in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolica 26. Junii* 1749. §. 23.

Ad II. reſpondeo, certiſſimum eſſe, maxime poſt Tridentinum, convenientes ſatisfactiones a Pœnitentibus acceptandas eſſe, atque implendas. Fruſtra enim claves non ad ſolvendum duntaxat, ſed ad ligandum convenienti ſatisfactione Sacerdotibus conceſſæ eſſent ex laudato Concilio, ſi liberum eſſet pœnitentibus pœnitentias ſalutares recuſare. Quod ſi manifeſte inconvenientes eſſent, nec velit Sacerdos juſtis atque modeſtis Pœnitentis rationibus acquieſcere, poteſt Pœnitens Sacerdotis non recte judicantis ſententiam declinare.

Ad III. reſpondeo ad primam partem cum S. Raymundo in Summa *lib.* 3. §. *66.*: *Credo breviter, quod ſic, dum tamen diſcrete, & propter cauſſam, & circa ſubditos ſuos, alias non.*

Quod tamen fieri debet in Pœnitentiæ tribunali, poſtquam confeſſionem pœnitentis audivit, ut ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Nec primum Sacramentum remanet idcirco imperfectum; quia, ut notat P. Giribaldi, duplex poterit a ſecundo Sacerdote pœnitentia imponi, una in commutationem præcedentis, altera pro præſenti confeſſione; &, ſi una tantum imponatur, poterit valere pro prima & ſecunda. Recte dicit S. Raymundus *circa ſubditos ſuos*. Si enim prior pœnitentia impoſita fuiſſet ab habente poteſtatem pro reſervatis, commutatio fieri non poteſt a Sacerdote non habente talem poteſtatem, qui vere nullam habet circa primam pœnitentiam juriſdictionem. Nam duplex eſt ex mente Patrum, & Conciliorum finis reſervationis. Primus, ut abſolutionis difficultate hominum propenſio ad peccandum quodam verecundiæ fræno coerceatur: ſecundus, ut juxta gravitatem morbi peritiores, & excellentiores Medici adhibeantur; quod pœnitentiam præcipue reſpicere nemo non videt. Auctores, qui cum Academia Bononienſi anno 1751. menſe Octobri contrarium ſentiunt, mihi videntur ſecundum reſervationis finem non ſatis perſpexiſſe; unde ab iis cavendum eſſe recte monet Clericatus *Deciſ.* 24. *de Sacram. Pœnit.*

Quoad ſecundam partem reſpondeo, male ſe geſſiſſe Lambertum. Tantum enim

abeſt,

abeſt, Pœnitentem leviores pœnitentias aucupari poſſe, ut communis opinio tradat, illum, cui a Sacerdote levis aliqua injungitur ſatisfactio, & certo, aut probabiliter ei conſtet, ipſam ad expianda peccata non ſufficere, debere pœnitentiam aliam ſponte agere: Et ſi remota fraude, & dolo malo poſſet a peccato excuſari, nunquam tamen ipſi liceret, relicta prima pœnitentia, ſecundam, quæ levior eſt, peragere. Acceptam enim ſatisfactionem implere tenetur Pœnitens, niſi fiat ejuſdem commutatio. Nulla autem in caſu noſtro commutatio; nemo enim commutare poteſt ſatisfactionem, quam ignorat injunctam; firmum igitur eſt præceptum primi Sacerdotis, ejuſque obligatio.

Mense Augusto.

Parochus I. vocatur ad miniſtrandam Extremam Unctionem ſeni, qui ob decrepitam ætatem creditur in dies moriturus, nulla licet alia ægritudine affectus. II. Vocatur ad idem Sacramentum miniſtrandum puero ſeptenni in extremo vitæ diſcrimine conſtituto. At renuit Parochus Extremam Unctionem utrique miniſtrare.

Quæritur I. An Parochus tam in primo, quam in ſecundo caſu male ſe geſſerit. II. An parentes, aut ii, ad quos puerorum cura per-

tinet, teneantur ſub mortali advocare Parochum ad Extremam Unctionem, & alia Sacramenta pueris graviter decumbentibus administranda, etiamſi certum non ſit, eos habere rationis uſum.

DECISIO.

Reſp. ad I. in utroque caſu male ſe ſe geſſiſſe Parochum. Primo quod ſpectat ad ſenem, qui prudenti hominum judicio ob decrepitam ætatem ex hac luce in diem diſceſſurus exiſtimatur, luculentiſſima extat Benedicti XIV. doctrina *in lib. 8. de Synod. Diœc. cap. 5. n. 2.* inquientis: *Extrema Unctio Conceditur ſenibus, qui præ decrepita ætate, licet nulla alia ſpeciali afficiantur ægritudine, in dies morituri creduntur; ipſa enim gravis, & annoſa ſenectus infirmitas eſt, quæ interiora vitæ organa labefactat, & mox ducit ad interitum.* Ita etiam ſtatutum in Concilio Mediolanenſi IV. *par. 2.*, & Aquenſi *anno 1585. tit.* Quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ Unctionis *Tom. 10. collect. Harduini col. 1535.*

Quoad puerum ſeptennem dubium eſſe nequit, quin is Extrema Unctione in mortis vicinia muniri poſſit, dummodo doli, ac culpæ ſit capax. Si etenim ea in ætate tali pollet cognitione, & malitia, ut malum patrare queat; quidni idoneus non reddetur ad participandum remedium, effectumque vi ta-

lis

lis Sacramenti productum, adeoque ipſummet Sacramentum? Adeoque ſi capax eſt Sacramenti Pœnitentiæ, ita & Extremæ Unctionis, quæ illius eſt complementum; ut egregie advertit ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. *cit. lib. 8 de Syn. Diæceſ. cap. 6. num. 2*, qui decretum laudat a Card. de Rohan. editum in Rituali Argentineuſi *tit. de Extrem Unct. §. 2.*, & Paſtorale Mechlinienſe, apud Van-Eſpen. *part. 2. tit. 8. cap. 2. n. 9.* in quibus edicitur, pueris dandum eſſe hoc Sacramentum, ſi ſeptimum attigerint annum, nec non iis, qui nondum ſeptenarii ſunt, ſi in iſtis malitia ſuppleat ætatem; damnatque altera ex parte ſynodalia illa ſtatuta, in quibus hoc Sacramentum pueris abſolute negatur.

Ad II. Parochus tenetur ſub conditione miniſtrare Extremam Unctionem puero, de quo dubium eſt, an rationis uſum habeat: quia ratione muneris tenetur paſcere oves eo modo, quo poteſt; ergo quum poſſit ſub conditione miniſtrare, tali pacto miniſtrare debet. Neque dicatur, Parochum iis ſolum teneri, qui habent jus, cujuſmodi non eſt puer, cujus capacitas eſt ſolum dubia, & per conſequens ſolum jus dubium habet. Nam regero, quod capacitas ſub conditione eſt certa, & ita etiam jus certum ad Sacramentum ſic conferendum; alioquin ſi ratio valeret, probaretur etiam, quod Parochus baptizare, &

abſolvere non teneretur ſub conditione, quando ea Sacramenta nequit alio modo miniſtrare: eadem enim muneris ratione omnia Sacramenta miniſtrare tenetur, ſive neceſſaria ſint, ſive non. Hinc ſponte ſua fluit, Parentes, aut eos, ad quos puerorum cura pertinet, teneri ſub peccato mortali advocare Parochos ad Extremam Unctionem, & alia Sacramenta pueris graviter decumbentibus adminiſtranda, etiamſi certum non ſit, an habeant rationis uſum: alioquin eorum negligentia in cauſſa eſſet, ut verſarentur in periculo æternæ damnationis, vel alterius ſpiritualis detrimenti; quum fieri poſſit, quod habeant rationis uſum, & peccaverint mortaliter, aut venialiter, ac per Sacramenta adjuvari poſſint. Profecto ſi parentes corporalem ipſorum ſalutem notabiliter negligerent, non excuſarentur a peccato mortali; quomodo ergo excuſabuntur, ſi notabiliter eorum ſalutem ſpiritualem neglexerint?

MENSE SEPTEMBRI.

MArcellus caupo, & Juſtina ejus uxor Dominicis, feſtiſque diebus per horas ſervitii divini vinum, & cibaria miniſtrant non ſolum advenis, & viatoribus, ſed etiam loci incolis: nimiam quoque vini quantitatem vendunt iis, quos experientia norunt ex illa quantitate inebriari; diebuſque jejunii eos excipiunt ad cœnam, quos etiam norunt ad jejunium teneri: ac tandem vinum, & ciba-

cibaria conſueto pretio carius vendunt, eo quod aliter ſe, ſuoſque non poſſint ſuſtentare.

Quæritur I. An, & ſemper in his omnibus caſibus lethaliter peccet Marcellus.

II. An idem ferendum judicium ſit de Juſtina ejus uxore; & an apud Deum poſſit ipſa excuſari ob debitam viro reverentiam, metumve malarum tractationum.

DECISIO.

Quod attinet ad I. caput primi quæſiti, advertendum cum S. Thoma 2. 2. *qu.* 122. *art.* 4. *ad* 3., quod dies feſti Chriſtianorum non ita ſtricte obligant, ſicut olim obligabat præceptum divinum de obſervando Sabbato: hinc eſt, quod multa nobis permittuntur dominicis, feſtiſque diebus, ut ignem ſuccendere, cibos coquere ac parare, & ſimilia, quæ nullatenus in Sabbatis veteris legis fieri licebat; & ideo die præcedenti parabantur, ut habemus *Ex. c. 16. & 35.* Diſtinguit enim ibi S. Doctor inter opera ſimpliciter ſervilia, quæ proprie ſervientibus conveniunt, & opera communia, quæ conveniunt tam iis, qui ſerviunt, quam illis, quibus ſervitur, & poſt pauca ſubdit: *Et ideo opus corporale pertinens ad conſervandam ſalutem proprii corporis non violat Sabbatum; non enim eſt contra obſervantiam Sabbati, quod aliquis comedat, & alia hujuſmodi faciat, qui-*

bus

bus ſalus corporis conſervatur; & paullo poſt: *Similiter quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, non eſt contra obſervantiam Sabbati.* Quibus poſitis, quis audebit judicium ferre, Marcellum lethaliter peccaſſe, miniſtrando, ut fert caſus, vinum, & cibaria non ſolum advenis, & viatoribus, ſed & loci incolis domincis, feſtiſque diebus? Adſunt tamen Auctores, qui excipiunt aliqua feſta principaliora Nativitatis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes ob peculiarem reverentiam debitam talibus diebus.

Difficultas eſt in circumſtantia temporis, ſcilicet miniſtrandi vinum, & cibaria non tantum dominicis, feſtiſque diebus, ſed quod eſt gravius, ut notatur in caſu, *per horas ſervitii divini*. S. Carolus Borromæus in ſua I. Synodo permiſit quidem, ut hi homines, ſcilicet caupones, in ſuo exercitio proſequerentur, ſed cum hac regula, ut tabernæ per tales horas eſſent clauſæ, & ſolum ad ipſas haberetur aditus per quoddam oſtiolum: deinde in III. Synodo ſancivit, *ut Epiſcopus ſub pœnis in ea contentis illarum rerum venditioni certam horam, & modum præſcriberet*: qua ductus ratione? ut nempe excluderentur horæ ſervitii divini: *ne*, ſubjunxit, *ex tali venditione aliquid oriatur ſcandali, offenſioniſve, qua diſtrahantur homines a divinis officiis*. Idem ſtatuit Concilium Turonenſe confirmatum a

Gre-

Gregorio XIII. : *In cauponis, ſeu tabernis aliis, quam peregrinis, cibaria, & vinum miniſtrari, maxime tempore divini ſervitii, ſub anathematis pœna prohibet hæc Sancta Synodus:* & pro noſtra Diœceſi idipſum conſtitutum fuit in Synodo Provinciali ſub Cypriano Pallavicino *cap. de Feſti diei ſanctificatione* in hæc verba: *Caupones, & alii hujuſmodi ne quid vendant eſculenti, poculentique, neu venale publice exponant, niſi abſoluta, ubi prædicatur verbum Dei, concione; alibi vero nonniſi poſt Nonam, ſeu poſt Miſſam in Parochia celebratam*: taliſque fertur eſſe praxis accuratiſſime obſervata in præcipuis noſtræ Italiæ urbibus. Lethaliter ergo peccaret Marcellus, ſi ſynodale hoc ſtatutum, & bene multas Principis leges idipſum jubentes infringeret.

Ad II. caput primi quæſiti reſpondeo, Marcellum vendendo vinum, ut ſic, non ponere opus de ſe intrinſece malum, ſed quid indifferens ad recreandum. *Vinum enim*, inquit, *Eccleſ. c. 31. n. 35., ab initio in jucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem.* In eo eſt difficultas, quod nimiam vini quantitatem iis vendat, quos experientia novit ex illa quantitate inebriari, & diebus jejunii excipiat ad cænam, quos pariter ſcit ad jejunium teneri. Quoad I. adeſt in promptu doctrina Angelici 2. 2. *qu. 170. a. 1. ad 3.*; *Sicut ille, qui inebriatur,* ait S. Doctor, *excuſatur a peccato, ſi ignorat* *for-*

fortitudinem vini; *ita etiam ille*, *qui invitat aliquem ad bibendum*, *excuſatur a peccato*, *ſi ignorat talem eſſe conditionem bibentis*, *ut ex hoc potu inebrietur*; *ſed ſi ignorantia deſit*, *neuter a peccato excuſatur*. Itaque ſicuti quando quis propria experientia noſcit vini effectus, ſuique temperamenti debilitatem, ita ut abſque eo, quod inebrietur, certam ipſius copiam haurire nequeat, non poteſt excuſari a mortali, quia in tali caſu ejus ebrietas eſt voluntaria, & ſufficientem conſenſum præbuiſſe cenſetur vini effectibus; ita pariter ſentiendum de eo, qui nimiam vini quantitatem iis vendit, quos experientia novit ex illa quantitate inebriari. Jam vero Marcellus non ſolum non ignorat conditionem illarum perſonarum, ſed hoc novit experientia; ergo hoc faciendo peccat mortaliter, quia non præſtat amplius opus indifferens, ſed relative ad illos opus intrinſece malum; quod enim a Deo, ut ſuperius dixi, creatum eſt in jucunditatem, in ipſis propter malum uſum vertitur in ebrietatem; adeoque Marcellus miniſtrando illis nimiam vini quantitatem cooperatur illorum peccato, ejuſdemque fit particeps, ut conſtat ex citato textu Angelici, & probat etiam S. Antoninus 2. *par. ſummæ Theol. tit. 6. c.* 3. in fine juxta doctrinam S. Paulli *ad Rom. c. 1. n. 32.* : *Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt*, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Quoad alterum,

terum, communiter Auctores cum Azorio *tom 1. Inſtit. mor. l. 7. c. 20.* ſtatuunt, talem tabernarium lethaliter peccare. Nam excipiendo ad cœnam eos, quos ſcit ad jejunium teneri, cauſſam illis dat, ut jejunium ſolvant; quia licet, ut ait Navarrus ibi, illos ad cœnam excipiendo non ſit cauſſa principii peccati, eſt tamen cauſſa actionis, per quam peccatum ſequitur. Hoc autem intellige de incolis ipſius loci, non autem de advenis, & viatoribus: quum enim ipſi propter laborem itineris a lege jejunii diſpen ſentur, poterit Marcellus libere eos ad cœnam excipere.

Ad III. caput primi quæſiti, ex S. Thoma regula generalis eſt, nunquam licere, carius vendere, aut vilius emere, quam res valet, & ideo concludit 2. 2. *qu. 77. a. 1. in c.: Carius vendere, vel vilius emere rem, quam res valet, eſt ſecundum ſe illicitum, & injuſtum.* Obſervat tamen P. Bernardus Biſſo Monachus Caſinenſis in ſua *Decade reſolut. moral. tract. 10. de reſtit*, §. 24., quod aliquando augetur, vel minuitur pretium a modo vendendi: *Sic ad minutum (ut vulgus habet) carius venditur, quam ſi in magna quantitate vendatur*, & affert hujuſce doctrinæ rationem valde conſentaneam: *quia ad minutum vendendo fiunt multæ menſurationes, & pondera, quæ in damnum vendentis excedunt unicum pondus totius rei, ſi ſingillatim ſumantur; & ita ad*

ſer-

ſervandam proportionem æquum eſt, quod ad minutum carius vendatur. Hic tamen caute procedendum, & hæc ipſa regula cum moderatione eſt accipienda, ita ut habeatur ſemper debita proportio. Unde Marcellus in caſu vendendo carius conſueto pretio, niſi ſit pretium exorbitans, non videtur damnandus de lethali, maxime attento titulo veræ, & non fictæ paupertatis: quæ doctrina, ut ait citatus Auctor, conformis eſt doctrinæ ipſius Angelici Præceptoris; nam poſt recenſita verba loco ſupra cit. addit.: *Juſtum pretium rerum non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtit, ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem juſtitiæ.*

Ad II. quæſitum breviter reſpondet Pontas in ſuo *Dict. caſ. conſc. tom. 2. qu. 7.* verbo *Ebrietas* „ Quando uxores eadem ſentiunt, ac „ volunt cum maritis ſuis, & operam ſuam „ conferunt ad iniquitatem, cum iis conſciæ „ cenſeri debent...Tenentur uxores a nequitia „ maritos avertere, & , quantum in ſe eſt, „ facere, ut commercium impediant, a quo „ tot mala originem habent. Si vinum promant, dent ebrioſis, ac de injuſto hoc lu„ cro gaudeant, totius fiunt iniquitatis parti„ cipes. Aliter autem judicandum eſt, quum „ uxores pro viribus commercium hoc tol„ lere nituntur, illudque tantum patiuntur, „ quod imperium non habeant; ebrioſiſque „ dare

„ dare vinum recuſantes, ſi eas male exci-
„ piunt viri, participes erunt ejus beatitudi-
„ nis, de qua Chriſtus loquebatur, quum
„ dixit: *Beati, qui perſecutionem patiuntur pro-
„ pter juſtitiam*, Matth. 5. 10. „ Ex hac do-
ctrina clare liquet, quodnam de Juſtina judicium ſit ferendum.

MENSE OCTOBRI.

ISidorus Sacerdos, qui nimis feſtinanter Miſſam celebrat, & rubricas negligit, novas accipit eleemoſynas pro Miſſis celebrandis, quibus intra modicum tempus non poteſt ſatisfacere.

Quæritur I. Quandonam lethaliter peccet Sacerdos ob feſtinationem, vel ob rubricarum negligentiam in Miſſa celebranda.

II. An tempus modicum, generatim loquendo, reputari poſſit tempus duorum, vel trium menſium; & an ſit in hoc aliqua declaratio Sacræ Congregationis Concilii.

III. An Sacerdos, qui nimium diſtulit Miſſarum celebrationem, teneatur aliquando reſtituere ſtipendia.

DECISIO.

AD I. Si feſtinatio talis eſſet, ex prava præſertim conſuetudine, ut nec integrum horæ quadrantem in Sacrificio complendo Iſidorus impendat, hoc in caſu mortaliter peccaret & propter ſcandalum populi, & ob gravem irreverentiam, & ratione contemptus inter-

interpretativi. Et ſane exterior illa devotionis, & pietatis ſpecies pro tremendo hoc myſterio ſummopere neceſſaria, quam Concilii Tridentini Patres *ſeſſ. 22. in decr. de obſerv. in celeb. Miſſ.* præſcribunt, quomodo poſſit relucere, non apparet, quomodo gravitas, & majeſtas, quæ valeat devotionem populo conciliare, nullo pacto intelligitur. Hujuſmodi enim feſtinatio cum debita gravitate, & exteriori devotione componi non poteſt; ſunt namque velut duo contrarie oppoſita: unde experientia erudimur, quantum commoveantur adſtantes, dum Sacerdotem præcipiti adeo curſu in altari operantem conſpiciunt; ex quo non leve oritur proximi ſcandalum. Inſuper nec integritas quoad ſingula in data hypotheſi ſervabitur; quia ita celebrans ea confuſione legere debet, ut initiales litteras pro integris vocibus proferat: genuflexiones, benedictiones, cæteraſque actiones, & cæremonias non aliter exequi poterit, quam incompletas, inconvenientes, & conculcatione ſenſibili affectas. Hæc porro gravem connotant, prout quiſque intelligit, tanto ſacrificio irreverentiam, cujus pravitatem intelliget Iſidorus, ſi attente perlegat, quæ ſcribit Bened. XIV. *Inſtit.* 34. §. 6.: *Populus*, inquit Pontifex, *in quaſdam Eccleſias magna frequentia convenit eam ob cauſſam, quod ibi Miſſarum Sacrificia breviſſimo temporis ſpatio conficiuntur... illud quoque*
non

non ſine quodam horrore a probiſſimis viris audivimus, aliquos Sacerdotes, ut cæteris omnibus ad celebrandum in privatis nobilium ſacellis ſacrificium præferrentur, pro quodam merito protuliſſe, quod citiſſime rem divinam expedirent.... Sacerdotibus ejuſmodi illud aptiſſimè convenire poteſt, quod olim Tertullianus, quum diverſam rem pertractaret, poſtulavit. Sacrificat, an inſultat? Lectionem dictæ Inſtitutionis proſequatur Iſidorus, & tandem ex ipſo Pontifice diſcat, quod *non ita brevi tempore, ut multi exiſtimant, Sacrum expediri poteſt; ſed ex unanimi Scriptorum (quos citat) opinione ad tertiam horæ partem ſaltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere.*

Ad rubricarum negligentiam quod attinet, falſa eſt eorum aſſertio, qui rubricas meras inſtructiones & conſilia appellarunt: *mandantes*, inquit S. Pius V. in Bulla Miſſali præfixa, *& ſtricte omnibus, & ſingulis præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Miſſam juxta ritum, modum, & normam in miſſali deſcriptam decantent, aut legant*. Ex quibus verbis concludit Bened. XIV. in tract. de Sacrif. Miſſ. ſect. 2. cap. 5. §. 3., rubricas eſſe leges præceptivas, quarum tranſgreſſio *ex genere ſuo* eſt mortale peccatum, a quo tamen vel ob invincibilem inadvertentiam, vel ob parvitatem materiæ celebrans excuſatur. Hinc Manſi in Epitom. Doctrinæ moralis ex operibus Benedicti XIV,

excerptæ verbo *Miſſa* ita firmat: *commentitia eſt diſtinctio inter rubricas præceptivas, & inſtructivas, ſed omnes ſunt præceptivæ, & aliquæ ex materiæ parvitate ſub veniali tantummodo obligant*. Niſi ergo vel inculpabili inadvertentia, vel materiæ parvitate tueri ſe poſſit Iſidorus, lethale crimen admiſit.

Ut vero relata culpa tum quoad Sacrificii nimiam feſtinationem, tum quoad rubricarum negligentiam unico ictu comprobetur, ex ipſo legis contemptu fundamentum deſumitur. Formalis namque contemptus legis vel *explicitus eſt*, ut ſi quis ruptis jam legum vinculis expreſſe diceret *Non ſerviam*? vel *implicitus*, ut ſiquis ob aſſiduitatem delinquendi eo devenerit, ut prudenter præſumi poſſit, ipſum animo ſuo ſaltem ita ſtatuiſſe. Alterutro modo ſpectetur contemptus iſte formalis, ex genere ſuo mortale eſt crimen; facere enim aliquid contra præceptum ex Legislatoris injuria, inobedientia eſt directe contraria dilectioni Dei, & proximi, ut notat Angelicus Doctor, præciſa tamen indeliberatione, & inadvertentia; deliberate ſiquidem contemnere præceptum, qua præceptum, qua Legislatoris juſſionem, ſemper eſt actus ſuperbiæ ſpeciatim ſumptæ, adeoque lethalis. Si igitur in eam rubricarum negligentiam, & Sacrificii nimiam feſtinationem frequenter incidat Iſidorus, implicitum in eo eſſe legis, & Legiſ-

lato-

latoris contemptum præſumitur ; *Frequentia namque peccati*, ſubdit citatus Angelicus 2. 2. *qu.* 186. *art.* 2., *diſpoſitive inducit ad contemptum ſecundum illud Proverb. 8.: Impius, quum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Ad II. Eſto duorum, vel trium menſium ſpatium generatim loquendo modicum tempus reputari poſſit; certum tamen eſt, in ea, de qua nunc agitur, materia non adeo dilatanda eſſe modici temporis confinia. Id ex decreto Sacræ Congregationis Concilii probat Cl. Pontifex Benedictus XIV. *Inſtit.* 56. *n.* 14. ubi ait: *Non minorem ſane diligentiam Sedes Apoſtolica contulit... Porro hujus modici temporis ſpatium ad duos vel tres menſes protrahebatur; at Sacra Conc. Congreg. die* 17. *Julii an.* 1655. *ita reſpondit: Quum in declaratione undecimi impreſſa ſuper decretis de celebratione Miſſarum permittatur receptio aliorum onerum Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri; hodie nonnulli Superiores Regulares pro conſcientiarum, ut inquiunt, quiete denuo quærunt, an dictum modicum tempus celebrandi Miſſas reputetur tempus duorum, vel trium menſium. Sacra &c. reſpondit, modicum tempus intelligi infra menſem.* En igitur, quibuſnam limitibus poſt relatam declarationem modicum tempus pro Miſſarum ſatisfactione circumſcribatur.

Ad III. Quandoque profecto vigere poteſt

teſt pro injuſta Miſſarum dilatione reſtituendi ſtipendium neceſſitas. Id præſertim contingeret, ſi eleemoſynam tribuens ſua intentione quoad tempus ſatis declarata, fraudatus remaneat: ut ſi petatur Miſſa ſtatim celebranda vel pro felici deciſione alicujus litis mox dirimendæ, vel pro puerpera periclitante, vel pro alia gratia, quæ dilationem non patiatur; hæc vero celebretur, quum jam præteriit dictæ neceſſitatis circumſtantia. In his ſane & conſimilibus caſibus ordo juſtitiæ expoſcit, ut id reſtituatur; quod juxta mentem dantis impletum non fuit. Qui enim dat, non vult transferre dominium ſtipendii, niſi ſub relata conditione temporis: qui recepit, ad conditionem ſervandam ſe obſtrinxit; quidquid autem fit contra pactum, eſt contra juſtitiam commutativam, quæ ſane reſtitutionis vinculum includit. Inſuper certum eſt ex S. Thoma *2. 2. q. 62. art. 2. ad 4.*, quod impediens aliquem à conſecutione boni, ad quod habeat jus acquiſitum, peccat graviter contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur. Quum ergo Sacerdos in illis peculiaribus circumſtantiis impediat, quantum eſt ex ſe, ne offerens ſtipem, illud bonum conſequatur, quod ab applicatione intendit, ad quod jam jus acquiſitum habuit, ſtatim ac Sacerdos cum prædicta temporis conditione ſtipendium recepit; conſequens eſt, ipſum contra juſtitiam peccaſſe, proindeque ad reſtitutionem teneri.

Si quis pro abſolvendo Sacerdote a vinculo reſtitutionis ad minimam læſionem hoc in caſu vellet confugere, advertat quæſo ad Conſtitutionem S. Pii V., in qua minima læſio reſtitutionis legem non tollit. Ibi enim abſque exceptione ſtatuitur: Beneficiatus, qui intermiſerit uno, vel pluribus diebus officii recitationem, ad quam ratione beneficii adſtringitur, ad reſtitutionem tenetur. Et tamen fructus unius, vel alterius diei ex aliquibus Beneficiis provenientes ſummam fortaſſe, de qua controvertitur, non excedunt. Unde &c.

Mense Novembri.

Accedit ad Confeſſarium Titius ruſticus, & pauper, per varias regiones etiam hæreticorum diu circumvagatus, modo cum mentito habitu clericali, aut religioſo, cum falſis dimiſſorialibus, & litteris patentibus, modo pro Redemptione Captivorum, aut Hoſpitali aliquo, aut diruto Monaſterio, modo ſe hæreticum inter hæreticos, modo ſe ab hæreſi converſum inter Catholicos ſimulando; unde multas eleemoſynas tum a privatis perſonis, tum a piis Confraternitatibus collectas domum adſportavit, quarum partem expendit in itinere, partem in acquirendis bonis ſtabilibus pro ſua, & ſuæ familiæ ſuſtentatione.

Quæritur I. Quoties peccaverit Titius in ſuis circumvagationibus.

 II. Utrum

II. Utrum incurrerit caſum aliquem Papæ reſervatum, & an ſit denunciandus.

III. Quomodo ſe gerere debeat circa reſtitutionem.

IV. Utrum liceat familiæ Titii participare pro alimentis de præfatis pecuniis.

V. Utrum venditores bonorum emptorum a Titio peccaverint, & an teneantur ad reſtitutionem.

VI. Utrum poſſit Confeſſarius partem aliquam reſtitutionis Titio, & ejuſdem familiæ aſſignare, ut veris pauperibus.

DECISIO.

QUum caſus iſte reſpiciat Quæſtores, ſeu Quæſtuarios eleemoſynarum, pro recta ipſius explanatione aliqua prænotanda ſunt cum Poſſevino in libello de officio Curati *ad praxim cap. 2. n. 29.*, & cum Sylveſtro in Summa verbo *Quæſtuarii p. 534.* Quæſtores, ſeu Quæſtuarii ſunt in duplici claſſe: horum alii quærunt pro ſuo particulari victu, alii pro Redemptione Captivorum, pro aliquo Hoſpitali, pro diruto Monaſterio, & his ſimilibus. Primi non poſſunt prohiberi, ne quæſtuent, attenta eorum mendicitate: pro ſecundis abſolute neceſſaria eſt licentia in ſcriptis Ordinarii locorum. Caſus noſter non agit de quæſtoribus primæ claſſis, ſed ſecundæ, con-

tra

tra quos reclamarunt primo uſque ab initio ſæculi XII. an. 1215. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., Lugdunenſe ſub Innocentio IV. an. 1244, Viennenſe ſub Clemente V. an. 1311., & deinde Tridentinum an. 1545., ſupprimendo eos, qui aderant, & revocando omnem facultatem, & privilegium, quod antea illis conceſſum fuerat; *Quum multa*, ita *ſeſſ. 21. de reform. cap. 9.*, *a diverſis antea Conciliis tam Lateranenſi, ac Lugdunenſi, quam Viennenſi adverſus pravos eleemoſynarum quæſtorum abuſus remedia, tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiuſque eorum malitia ita quotidie magno Fidelium omnium ſcandalo, & querela excreſcere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla ſpes amplius relicta videatur; ſtatuit Sancta Synodus, ut poſthac in quibuſcunque Chriſtianæ Religionis locis eorum nomen, atque uſus penitus aboleatur, nec ad officium hujuſmodi exercendum ullatenus admittantur, non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Piis Locis, & quibuſvis cujuſcunque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Hæc ſanctiſſima decreta debuerant profecto aliquod frœnum ingerere eorum audaciæ; ſed qui fructus in praxi? Quamplures etiam nunc inveniuntur hujuſce furfuris homines tali vitæ modo dediti in totius Catho-

lici orbis regionibus, & præſertim in noſtra, adeo ut celeberrimus Jo. Baptiſta Card. de Luca *in ſua Appendice, ſeu Annotat. practicis ad eandem Synodum Tridentinam diſc. 18.* non dubitaverit affirmare, quod in aliquibus hoc vitium videtur emanare de uno in alterum, de Patre in Filium jure quodam hæreditario, & naturali, præſertim in quibuſdam incolis aliquorum caſtrorum, aliorumque aſperrimorum locorum ſubtus montes Apenninos. Ad hos anno 1769. occaſione Sacræ Viſitationis non ſine magno incommodo ſe contulit digniſſimus noſter Antiſtes, & ea, qua erga omnes fertur, charitate, & zelo ad illos coercendos ſalutare edidit decretum cum pœnis adjunctis, quod hic tranſcribere operæ pretium duco.

NOS JOANNES &c.

„ QUum occaſione Sacræ Viſitationis in Vi-
„ cariatibus Noſtris Variſii, Caſtilioni,
„ Borzoni, & Garibaldi deteſtabiles ali-
„ quot abuſus Vagantium per exteras regio-
„ nes cum ſumma animarum pernicie ex ni-
„ mia abſolutionis impetrandæ facilitate au-
„ geri potius, quam tolli deprehenderimus; id-
„ circo pro debito Paſtoralis officii atrocio-
„ rum quorundam criminum infra deſcripto-
„ rum, tanquam ex infecto fonte inde pro-
„ manantium, abſolutionem nobis reſervavi-

„ mus

„ mus in prædictis Vicariatibus, prout præ-
„ ſentium tenore Nobis reſervamus. Nullus
„ ergo ſive Sæcularis, ſive Regularis Confeſ-
„ ſarius audeat ab iiſdem, præterquam in
„ mortis articulo, quempiam in poſterum
„ abſolvere, niſi a Nobis, vel a Vicario No-
„ ſtro Generali facultatem obtinuerit.

I. „ Falſarum Litterarum Patentium, Di-
„ miſſorialium, ſeu Redemptionis Captivo-
„ rum, ſeu aliarum quarumcunque malitioſa
„ confectio, aut delatio ad turpem Miſſa-
„ rum celebrandarum quæſtuationem, aut ad
„ eleemoſynas Fidelium expilandas.

II. „ Ficta Naufragiorum, Incendiorum,
„ aut ſervitutis Barbarorum ſimulatio ad
„ eumdem finem.

III. „ Ficta venditatio falſarum Indulgen-
„ tiarum, aut fictorum miraculorum D. N.
„ Jeſu Criſti, aut B. Mariæ Virginis, aut alio-
„ rum Sanctorum ad eumdem finem.

IV. „ Circumvagatio in Terris Hæreti-
„ corum, aut Schiſmaticorum, aut Infidelium
„ ſub ficta Religionis Catholicæ abdicatione
„ ad illorum eleemoſynas obtinendas: re-
„ ſervatur ſub pœna excommunicationis ipſo
„ facto incurrenda.

„ Extenduntur ſupradictæ reſervationes
„ ad mandantes, conſulentes, famulantes, au-
„ xilium dantes.

V. „ Sacerdotes vero, & Clerici in Sa-
cris

„ cris conſtituti præter eaſdem reſervationes
„ pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrant.
„ Datum Burginovi in Sacra Viſitatione
„ 13. Septemb. 1769.

Hiſce præjactis reſpondeo ad I. Titium ſic circumvagando peccaſſe, & quidem graviter; quia fecit contra expreſſa decreta Conciliorum in re gravi. Quoties autem peccaverit, uno ne tantum peccato, an pluribus, quum diſtinctio numerica moralis peccatorum deſumatur ex diſtinctione numerica actuum voluntatis moraliter interruptorum, dicendum, quod Titius in caſu toties peccavit, quoties interrupit pravam voluntatem quæſtuandi, & iterum illam reaſſumpſit: peccavit ſimulando hæreſim contra præceptum fidei, crimine falſi in falſis dimiſſorialibus, aſſumendo veſtem religioſam ad malum finem &c.

Ad II. Si Titius inter hæreticos ſe tanquam hæreticum haberi impia ſimulatione conatus eſt, denunciationi, & reſervationi in foro externo ſubjicitur. Verum quidem eſt, S. Thomam 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *in c.* aſſerere, quod *confiteri fidem non ſemper, nec in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis*. Sed dictis verbis abuteretur, qui ad Titium excuſandum ea vellet exponere. Ut enim ex Toleto animadvertit Benedictus XIV. *de Syn. Diæc. lib.* 13. *c.* 20. *n.* 12., *quamvis ſemper non ſit neceſſaria fidei exterior confeſſio, tamen ſemper eſt neceſſarium non mani-*

manifeſtare aliquam ſectam ; non enim idem eſt, non oſtendere ſe eſſe Chriſtianum , & oſtendere ſe eſſe infidelem . Illud enim non ſemper eſt illicitum , ſed ſolum aliquando (& in hoc ſenſu loquitur S. Thomas) *hoc autem ſemper illicitum* . Nec omitenda ſunt Silvii verba, quæ idem Pontifex ibidem adducit: *Quo præcepto prohibetur aſſenſus falſæ fidei , etiam prohibetur iſtius fidei exterior profeſſio . Qui autem ſimularet falſam fidem exterius , profiteretur illam , ergo peccaret contra præceptum fidei* . Titius ergo non ſimpliciter veram fidem occultavit, ſed falſam ſimulando profeſſus eſt; & , ſi veræ fidei aſſenſum interius retinuit, cenſuram evaſit, pro foro conſcientiæ a quocunque Confeſſario poterit abſolvi ; *in foro autem externo eſſet puniendus tanquam hæreticus, nec ei crederetur aſſerenti , ſe interiori aſſenſu firmiter adhæſiſſe veritati , cui viſus eſt exterius diſſentire* : Benedictus XIV. de Syn. Diæc. *lib.* 9. *c.* 4. *n.* 4. Exterior iſta diſſenſio gravem inducit hæreſis ſuſpicionem . Licet enim , ut notat Berardi *Comment. in Jus Eccleſ. tom.* 4. *par.* 1. *diſſert.* 2. *c.* 2., pro ſuſpecto de hæreſi ſtatim non ſit habendus , *qui ſemel , & caſu quodam , aut curioſitate , ſine animo hæreticis adhærendi , hæreticorum prædicationem audiverit , aut in eorum ſe conventum immiſerit , niſi aliæ concurrant ſuſpicionis cauſſæ* ; Titius tamen , qui non ſemel hæreticos audivit ; ſed ſæpius hæreti-

reticorum ſectam profeſſus eſt, qui non caſu quodam in eorum ſe conventum immiſit, ſed conſulto illorum erroribus adhærere ita ſtuduit, ut tanquam hæreticus haberetur, de hæreſi ſuſpectum, & proinde denunciandum eſſe firmiter ſentio.

Ad III. Catechiſmus Romanus in explanatione 7. Præcepti *par. 3. cap. 8. n 9.* hæc habet: *Furtum præterea facere videntur, qui fictis, ſimulatiſque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent: quorum eo gravius eſt peccatum, quod furtum mendacio cumulant.* Titius ergo non ſolum graviter deliquit circumvagando, ut jam dictum eſt, ſed ulterius tenetur reſtituere, quidquid tali ſimulatione congeſſit. Ratio eſt, quia ſic faciendo defraudavit vere indigentes, & ſecluſa tali deceptione, nunquam ipſi data fuiſſet tanta eleemoſynarum ſumma; cauſſa enim finalis eleemoſynæ eſt quidem amor Dei, ſed conjunctim pauperi ſuccurrere ad ſublevandam ejus neceſſitatem, quæ ſi non adſit, quia pauper eſt fictus, donatio illa non ſuſtinetur; adeoque ſuſcipiens ad reſtitutionem tenetur. Ita omnes communiter.

Reſtitutio autem de talibus pecuniis congeſtis, ut docent Navarrus, & alii facienda eſt pauperibus, & nomine Pauperum intelliguntur etiam Loca Pia. Sed quandoquidem exprimitur in caſu Titium fuiſſe circumvagatum quæſtuando modo pro Redemptione Capti-

ptivorum, modo pro aliquo Hoſpitali, aut diruto Monaſterio, æquum eſſet, ut tales pecuniæ deponerentur pro tali uſu, juxta animum dantis relative ad animum ſignificatum.

Ad IV. Reſpondeo cum diſtinctione: aut Familia Titii eſt in vera egeſtate, & tunc, attenta paupertate, conveniunt Auctores, quod in aliqua parte poſſit de præfatis pecuniis participare pro alimentis, & propria ſuſtentatione: aut vere non eget, & tunc totum applicandum eſt Locis Piis juxta paullo ante dicta.

Ad V. Vel venditores bonorum emptorum a Titio talia ſtabilia bona fide ipſi vendiderunt, nulla habita notitia, quod pecuniæ pro pretio ſolvendæ forent male acquiſitæ, & tunc non peccaverunt illa vendendo: vel hoc erat ipſis compertum, & tunc a tali venditione debuerant abſtinere, ne pecuniam acciperent illicite acquiſitam, & reſtituendam. Ad reſtitutionem tamen dico cum citato Navarro nullatenus ipſos teneri; quia etſi tales pecuniæ ſint male acquiſitæ, & debeant reſtitui, ipſas tamen non male acquiſiverunt venditores, ſed emptor, & de ipſis facta fuit commutatio in illa bona ſtabilia, quæ ſtant loco pecuniarum; unde obligatio reſtituendi translata eſt in dicta bona empta, & poſſeſſa nunc ab eodem Titio.

Ad VI. Reſpondeo iterum cum diſtinctione: vel Titius, & ejus Familia expoliando ſe

do ſe illis bonis remanent in vera egeſtate; & tunc aliqua eorum pars poteſt a Confeſſario ipſis, tanquam veris pauperibus, aſſignari: ita communiter Auctores cum laudato Navarro *in manuali c. 17. n. 93.*: vel habent de proprio, unde vivant, & tunc tota pecunia, quæ ex venditione talium bonorum colligetur, fideliter conſignanda eſt operi Redemptionis Captivorum, vel Hoſpitali, vel diruto Monaſterio, ſi adſit, ut ſuperius dictum eſt, vel Pauperibus.

Mense Decembri.

Antonius Sacerdos difficile inveniens eleemoſynas Miſſarum in ſua patria, comparata ſibi falſa dimiſſoriali confecta a Cajo, pergit in Germaniam, aliaſque regiones ultra montes, ingentique Miſſarum numero collecto, redux in Patriam partim ipſe ſatisfacit iiſdem miſſis, partim diſtribuit amicis Sacerdotibus celebrandas, dando illis tantum eleemoſynam ſynodalem.

Quæritur I. An liceat Sacerdoti diſcedere e Diæceſi abſque dimiſſoriali ſui Ordinarii, & an incidat in aliquam pœnam.

II. An, & quo peccato deliquerint Cajus conficiendo, & Antonius accipiendo falſam dimiſſorialem.

III. An præfatus Antonius potuerit per alios

alios Sacerdotes ſatisfacere Miſſis celebrandis, ſola eleemoſyna Synodali ipſis erogata.

IV. Utrum liceat Antonio pro ſuis laboribus in Miſſarum eleemoſynis colligendis aliquid ſibi retinere.

DECISIO.

AD I. Primam hujuſce quæſiti partem ſatis, ſuperque abſolvit Concilium Laodicenum, quod Canone 41. definiit: *Non oportet eum, qui eſt ſacratus, vel Clericus, ſine Canonicis litteris iter aggredi;* in quibus verbis *ly non oportet*, ut norunt Theologi omnes, & Canoniſtæ, æquivalet verbo *non licet*. Poteſt hæc veritas illuſtrari ex eo, quod in jure canonico *diſt.* 71. *can.* 7. habeatur diſpoſitio, qua prohibetur, exteros Clericos, & ignotos in alia civitate ſine proprii Epiſcopi commendatitiis literis nuſquam ullo modo miniſtrare; diſpoſitio, quæ fuit confirmata in Concilio Calcedon. *can.* 13., & Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 16; & Sacra Congregatio Concilii *die* 17. *Novembris anni* 1594. propoſito dubio: *An Epiſcopus loci ordinarius prohibere poſſit, ne Regulares in eorum Eccleſiis Sacerdotes ſæculares exteros divina officia celebrare permittant*, reſolvit, *poſſe*. Aliunde omnis Sacerdos ex S. Thoma 3. *par. qu.* 81. *art.* 10. ſub periculo gravis peccati, tametſi animarum curam non habeat, ſaltem in feſtis principalibus Miſſam celebrare tenetur; atque hujuſmodi ſententia, uti aſ-

ſeri

ſerit Juvenin de Sacram. *diſſert.* 5. *qu.* 7. *cap.* 1. *art.* 1., communis eſt inter Doctores His præjactis validiſſimis fundamentis en ineluctabile argumentum. Non licet Sacerdoti, qui ſub periculo gravis peccati in feſtis principalibus Miſſam celebrare tenetur, ſe conſtituere in eo ſtatu, in quo a nullo Epiſcopo juxta juris diſpoſitionem ad divina officia celebranda admittatur; ſed Sacerdos, qui e Diœceſi diſcedit abſque dimiſſoriali ſui Ordinarii, ſe ipſum conſtituit in dicto ſtatu; ergo non licet Sacerdoti diſcedere e Diœceſi abſque dimiſſoriali ſui Ordinarii. Abſit vero, ut omnes omnino Sacerdotes hoc pacto ſe ſe gerentes æqualiter illicite operari cenſeam. Diſtinguendum eſt enim inter eos Sacerdotes, qui nullum habent officium, beneficium, aut aliam obligationem perſonalem, ſervitium, & reſidentiam exigentia, & inter eos, qui aliquid ejuſmodi haberent, aut ſacram ordinationem ob propriæ Eccleſiæ neceſſitatem fuiſſent conſecuti; cumque loquendo de primis dimiſſoriales litteræ ipſis neceſſariæ tantum ſint *de honeſtate*, uti aſſerit Monacellius *tom.* 1. *Formul* 6. *tit.* 4., ſecundis vero neceſſariæ ſint *de neceſſitate*, uti definiit Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 16.; manifeſtum eſt, illicite magis ſe ſe gerere ſecundos, quam primos.

Ad ſecundam quæſiti partem reſpondeo primo generatim, nullam in corpore juris hu-

hujuſmodi delinquentibus taxari pœnam, niſi indirectam ſuſpenſionem a divinis. Porro hæc ſuſpenſio tandiu perdurabit, donec commendatiriæ litteræ poſtulentur, & obtineantur. Sed tunc, ſi ſermo ſit de Sacerdotibus nullum habentibus beneficium, & titulo patrimonii ſimpliciter ordinatis, pœnæ Epiſcopo arbitrariæ ſubjicientur; ſin autem ſit Sacerdos beneficiatus, aut ob Eccleſiæ neceſſitatem ordinatus, & *locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium* (ſententia eſt a Tridentino lata in ſæpius adducta *ſeſſ. 23. cap. 16.*) *interdicatur*.

Ad II. Deliquerunt Cajus, & Antonius graviſſimo crimine falſi. Enimvero falſum, ſeu falſitas, ut definit Raynaldus *tom. 2. cap. 18. num. 7.*, & paſſim Doctores omnes, *eſt veritatis immutatio dolo malo in alterius præjudicium facta*: hæc omnia habentur in falſa dimiſſoriali confecta a Cajo, & accepta ab Antonio; ergo &c. Quum autem crimen falſi principaliter quatuor modis committi poſſit, dicto nimirum; ſcripto, facto, & uſu, ſeu abuſu, aſſero, Cajum falſi crimen commiſiſſe *ſcripto*, ſubſcribendo ſcilicet dimiſſorialem mutato proprio nomine, & cognomine, *L. Falſi digeſt. ad L. Cornel. de Falſar.*, Antonium vero crimen falſi commiſiſſe *facto* vias commeando, ut notatur *L. Eos qui*, falſo diplomate, commiſiſſe etiam *uſu*, ſeu *abuſu* falſæ Scripturæ a Cajo confe-

ctæ, & quidem ſcienter ex *Lege Majorem*. Quod vero crimen hujuſmodi graviſſimum ſit, deduci poteſt ex pœnis, queis ſemper plecti conſuevit, eaſque videre eſt in *L. Si quis 38. §. 6. digeſt. de pœn.*, *in gloſſa ad Legem* 1. *in cap. Si Epiſcopus 7. diſt. 50.*, & fuſe apud Barboſam in *lib. 5. Decr. de crim. falſi tit 20. cap. 7.*

Ad III. Si Antonius ex illis eſt, qui pergunt in regiones ultra montes, ut eleemoſynas Miſſarum juxta earum regionum conſuetudinem majoris pretii colligant, & *Miſſas retenta ſibi parte earundem eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari faciunt*, ut notavit Benedictus XIV. in ſua Conſtit. *Quanta cura 1741. die 30 Junii*; notum ſit Antonio, id vetitum eſſe Laicis ſub pœna excommunicationis, Clericis, ſive Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, quarum cenſurarum abſolutio Summo Pontifici reſervatur, ut in citata Conſtitutione decernitur. Si autem Miſſarum eleemoſynas non hoc execrabili fine collegit, reſpondeo cum diſtinctione. Vel enim pro Miſſis celebrandis taxatæ fuerunt Antonio ab offerentibus eleemoſynæ taxa Synodali majores, vel non. Si primum, non potuit Antonius ſatisfacere Miſſis celebrandis ſola eleemoſyna ſynodali erogata juxta decretum Alexan-

xandri VII. *die 24. Septembris 1665.*, qui hanc ſub *num.* 9. proſcripſit propoſitionem : *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos , cui Miſſæ celebrandæ tradantur , per alium ſatisfacere , collato illi minori ſtipendio , alia parte ſtipendii ſibi retenta* ; & Benedictus XIV. in ſupra citata Conſtitutione *Quanta cura* id magis expreſſit inquiens : *Pontifices Prædeceſſores noſtri de conſilio tum Congregationis S R E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Concilii Tridentini Interpretum decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, ſtipendio, ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocunque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium , ſeu eleemoſynam minoris pretii erogari , etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti , & conſentienti , ſe majoris pretii ſtipendium , ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet* . Si ſecundum, potuit utique ſatisfacere prædicto modo , ita tamen ut computando eleemoſynarum numerum , tot Miſſis habito verbo cum Epiſcopo per alios Sacerdotes ſatisfecerit , quot ſunt in tota ſumma eleemoſynæ Synodales. Ita ſentio inhærendo Sacræ Conc. Congregationi , quæ pluries, & præſertim die 15. *Novembris* 1698. decrevit , *attendendam eſſe conſuetudinem loci, vel legem Synodalem , quatenus adſit* , & allegationi Barboſæ , qui *de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 2. ſentit , *quando tribuens eleemoſynam Miſſa-*

rum numerum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem ſuæ Civitatis, vel Provinciæ.

Ad IV. Innixus Sacræ Conc. Congregationis decretis rem totam conficit Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi Allegatione 24. p. 2. n. 6.* his verbis: *Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolito pro celebratione Miſſæ, debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, & nullam illius partem ſibi retinere poſſe*. Et quandoquidem ſpecioſus laborum prætextus adducitur, dico in primis, quod quum voluntarius fuerit Antonii a Diæceſi diſceſſus, labores ab eo impenſi nullam merentur compenſationem, maxime quum agatur de minuenda Miſſarum eleemoſyna, inſciis offerentibus, & contra ipſorum voluntatem. II. Hujuſmodi labores ſunt omnino illiciti; ſiquidem juxta decreta Urbani VIII. confirmata ab Innocentio XII. non licet eleemoſynas manuales pro Miſſis celebrandis accipere, niſi intra modicum tempus poſſit præcedentibus Miſſarum oneribus ſatisfieri; & hoc modicum tempus a Sacra Congreg. *an.* 1655. *die* 17. *Julii* declaratum eſt intelligi debere infra menſem. Ergo niſi intra menſem poſſit Sacerdos oneribus Miſſarum, quæ habet, ſatisfacere, nequit licite nova Miſſarum manualium onera accipere; adeoque illiciti ſunt labores Antonii, qui per conſequens nullam poteſt compenſationem exigere.

CASUS DECISI

ANNO MDCCLXXI.

Menſe Januario.

JUlianus Collegiatæ Eccleſiæ Canonicus continuis conſcientiæ remorſibus angitur, quod Punctatoris munere fungens ſibi videatur nimium hactenus indulſiſſe quibuſdam Canonicis, eos ſcilicet ad quotidianas diſtributiones admittendo, qui, cæteris in Choro alternatim pſallentibus, vel Miſſam cantantibus, non pſallebant, vel divinas horas privatim recitabant, aut oſcitanter ſe ſe gerebant, ſeu confabulabantur, ſive denique ſæpe ſæpius a Choro abſque rationabili cauſſa diſcedebant ſub prætextu, ut ajunt, antiquæ conſuetudinis.

Quæritur I. Quomodo Julianus conſcientiæ ſuæ conſulere poſſit.

II. An dicti Canonici perceptas quotidianas diſtributiones reſtituere teneantur, & cui.

DECISIO.

„ IN ſingulis Cathedralibus, & Collegiatis „ Eccleſiis certi & deſignati ſunt Canonici, „ ſeu alio quocunque nomine nuncupentur

„ Beneficiarii, quibus onus incumbit accu-
„ rate adnotandi, quotquot in Choro, aliiſ-
„ que ſacris functionibus deſiderantur, &
„ quibus nominatim diebus, aut a qua ſpe-
„ ciatim Divini Officii parte hic, aut ille ſe
„ ſubtrahat. Qui vero ad hujuſmodi munus
„ deſtinantur, olim dictos fuiſſe *Obedientiales*,
„ quaſi ex mera obedientia inviſum munus
„ ſubirent inquirendi in aliorum negligen-
„ tiam, ex quodam diplomate Innocentii III.
„ colligi autumat Petrus Morettus in ſuo
„ Opere *de ritu dandi Presbyterium part. 1. ſect.*
„ *5 num. 3.* Nunc autem communiter vulgo
„ dicuntur *Punctatores*; atque ad id muneris
„ in ſingulis Eccleſiis duo plerumque deli-
„ guntur, tum ut uno impedito alter non
„ deſit, tum potiſſimum ut alicujus a Choro
„ abſentiam ambo uniformiter teſtantes, om-
„ nem a ſe removeant ſuſpicionem fraudis.
„ Ex his duobus unum deputandum a Capi-
„ tulo, alterum ab Epiſcopo decrevit S. Ca-
„ rolus Borromæus in I. Concilio Provinc.
„ Mediolanen. *tit. de Officio Punctatoris part. 1.*
„ *Act. Eccl. Mediol. pag. 29.*: *Ut autem hoc*
„ *officium melius exerceatur, neminique aliquid*
„ *injuſte aut remitti, aut adimi poſſit, præter de-*
„ *lectum a Capitulo alter Punctator ab Epiſcopo*
„ *creetur*: quibus veſtigiis laudabiliter, & ſan-
„ cte plures alii Epiſcopi inhæſerunt. Neque
„ hac ſola diligentia contentus S. Carolus in

„ Con-

„ Concilio Provinc. Med. IV. *par.* 2. *Act. Eccl.*
„ *Mediol. pag.* 160. juramentum ab iiſdem
„ præſtari voluit hiſce verbis conceptum:
„ *Ego N. Punctatoris officium, quod ſuſcepi, per*
„ *hæc ſancta Dei Evangelia juratus ſancte pro-*
„ *mitto, ac ſpondeo, me fideliter, & ſincere,*
„ *quantum in me eſt, executurum. Sic me Deus*
„ *adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia*; vel ſi
„ juret ſuper Sacras Reliquias, *& hæc Sancto-*
„ *rum pignora*. Atque univerſim loquendo
„ electos in Punctatores, priuſquam officium
„ aſſumant, eſſe jurejurando obſtringendos
„ ad illud fideliter obeundum, edixit Sacra
„ Congr. Conc. in *Maceraten. Viſitationis Sa-*
„ *crorum Liminum 26. Aprilis 1664. ad 6. du-*
„ *bium* ... Cumque poſtea dubitatum fuiſſet,
„ coram quo prædictum juramentum præ-
„ ſtandum eſſet, Sacra Congr. præſtandum
„ cenſuit coram illo, a quo Punctator eſſet
„ electus; in cauſſa enim *Senen. Officiorum die*
„ *13. Julii 1686.* propoſito ſequenti dubio:
„ *An qui Punctatoris munere fungi debet, tenea-*
„ *tur, & cogi poſſit ad præſtandum juramentum*
„ *in manibus Archiepiſcopi, & in Capitulo, vel*
„ *ſaltem alterutro modo, de fideliter exercendo*
„ *dictum munus:* Sacra Congr. reſpondit: *Pun-*
„ *ctatorem teneri jurare coram Deputante* „.
Hactenus Bened. XIV. *de Syn. Diæc. lib.* 4.
cap. 4. *num.* 2. *&* 3. Cæterum vel plures ſint
Punctatores, vel unus duntaxat, multum de

G 4 ipſis

ipſis lex præſumit; quum juramentum præſtant de munere, ad quod deſtinantur, fideliter obeundo juxta textum *in Cap. Cum ad audientiam de Præſcript.*

Sunt autem admonendi Punctatores, quod *ſi conniventer prætermittant punctare eos, qui juxta Eccleſiæ, & Collegii ſtatuta punctandi ſunt, tenentur de proprio reſtituere diſtributiones, quæ accreſcerent intereſſentibus*, ut decrevit S. Cong. Conc. in *Converſan.* 4. *Decembr.* 1706.; & ulterius graviter peccant, prout illos monendo tradit Epiſcopus Gravinenſis in ſuo tractatu, *L' Eccleſiaſtico in Coro c.* 27. *n.* 33. his verbis: *Or ſe nondimeno i Puntatori per riguardi umani d' affetto, timore, ſperanza, o qual altro ſia tralaſciano di puntare i difettanti, vengono ad eſſere ladri sfacciati, perchè levando paleſemente l' emolumento a chi tocca per ragione di accreſcimento, o per altro titolo, lo danno a chi per legge non tocca. Oltre di che ſi rendono eglino ſteſſi rei del diſſervigio di Dio ſul punto geloſo del divino ſuo pubblico culto, ed il loro peccato viene a contrarre certo che del grande coram Deo cotanto da lui deteſtato in quei ſuoi Miniſtri, i quali retrahebant homines a ſacrificio Domini*. Debent ergo Punctatores, ut ex S. Carolo docet Bened. XIV. *Inſtit.* 107. §. 7., & *loc. ſupra cit.*, non ſolum notare eos, qui a toto Divino Officio, vel a parte ipſius abſuerint, ſed præſentes etiam, qui hoc munere non fuerint

rint rite perfuncti, puta confabulantes in Choro, ſomno indulgentes, epiſtolis, aut libris legendis tempus conterentes &c.

Hæc de Punctatoribus: pauca nunc de Canonicorum obligationibus attingamus. *Primum atque præcipuum Canonicorum omnium inſtitutum*, ut verbis utar laudati Bened. XIV. *de Syn. Diæc. l. 13. c. 9. § 12.*, *ſive Metropolitanis*, *ſive Cathedralibus*, *ſive Collegiatis inſerviant*, *hoc eſt*, *ut in Choro Divinum Officium integrum recitent. In omnibus etiam hujuſmodi Choris Miſſa Conventualis quotidie cum cantu celebrari debet; atque hæc omnia debitis horis ſunt peragenda*. At quum præter Canonicos Beneficiarii quoque, ac Manſionarii in Cathedralibus, & ſæpe etiam in Collegiatis Eccleſiis reperiantur, quorum munus eſt pſallere, cantuque divinas laudes celebrare; hinc in aliquibus, vere tamen paucis, Eccleſiis ea inter Canonicos invaluit opinio, ut ſe muneri ſuo ſatisfacere contenderent, ſi Choro præſentes aſſiſterent, neque aliis pſallentibus in cantu ſe adjungerent. At falſa hæc, & abſurda opinatio, licet a nonnullis evulgata, qui ſapientiæ laudem ſibi vindicare contendunt, ſolidiſſime, & facile refellitur. Concilium Baſileenſe, cujus ea decreta vim obtinent, quæ a Nicolao V., ejuſque Succeſſoribus approbata fuere, *ſeſſ. 21. cap. 3.* ſic jubet: *Canonici, quum pſallendi gratia conveniunt, juncta, aut clau-*

clauſa labia tenere non debent, ſed omnes in pſalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Nemo, dum Horæ Canonicæ in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim Officium; nam non ſolum obſequium, quo obnoxius eſt Choro, ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. S. Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi Concilio*, confirmans & declarans Concilium Lateranenſe, ubi fructus Beneficii reſtituendi decernuntur ab iis, qui Divini Officii recitationem omittunt, eamdem pœnam indicit, *tametſi aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſſignatas ſola præſentia juxta ſtatuta fundationis, vel alias ſibi lucri feciſſe prætendat*. Quum igitur pœna culpam ſupponat, dicendum eſt, Canonicos ad pſallendum in Choro teneri; quandoquidem obdicti cantus omiſſionem pœna reſtitutionis fructuum puniuntur. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12. de Reformat.* hæc quoad Canonicos ſtatuit: *Omnes vero Divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia, atque in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare*. Præterea a Congregatione Sacri Concilii interprete ſæpius decretum fuit, nullius ponderis habendam eſſe contrariam conſuetudinem, neque fungi munere ſuo Canonicos,

qui

qui taceant in Choro, neque lucrari poſſe diſtributiones: *Sacra Congr. 12 Jan. 1619. lib. 12. decret ſæpius reſpondit, Canonicos in Choro teneri omnino pſallere, alioquin obligationi ſuæ non ſatisfacere. Nec non in cauſſa Vicentina propoſita die 7. Junii* 1626 *lib. 15. decret. S. Congreg. reſpondit Canonicos in Choro alta voce non pſallentes, diſtributiones quotidianas non lucrari, quavis conſuetudine non obſtante*. Eidem ſententiæ conſtanter favent Concilia tam Provincialia, quam Synodalia, quorum auctoritates, & canones videri poſſunt apud Pontas *in verb. Canonicus caſ. 6.*, Genettum *Theol Moral. tom. 2. tract.* 1. *cap. 7. de Beneficiis quæſt.* 11., Natalem Alexandrum *Theol. Moral. lib. 2. cap. 8. de Horis Canonicis tom. 2*, & Benedictum XIV. *Inſt. 107. §. 3* Sed huic rei ultimam manum impoſuit idem Bened. XIV. in Conſtitutione, quæ incipit *Cum ſemper* edita *die* 19. *Auguſti* 1744. §. 24. - ibi -,, Equidem ſcimus, in ali-
,, quibus Metropolitanis, & Cathedralibus
,, Eccleſiis inter Canonicos eam opinionem
,, invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere
,, contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt,
,, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque
,, pſallentibus Beneficiariis, aut Manſionariis
,, in cantu ſe adjungant. In hujuſce vero
,, opinionis confirmationem adduci ab iiſdem
,, ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta pe-
,, culiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum

„ ſuarum privilegia. At cum Synodus Trid.
„ *ſeſſ.* 24. *c.* 12. loquens de dignitatibus, &
„ Canonicis, qui Choro intereſſe debent,
„ unum ex eorum officiis eſſe dicat, *in Choro*
„ *ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis*
„ *Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque lau-*
„ *dare;* cumque pauca omnino ſint Capitula,
„ in quibus eo modo a Canonicis in Choro
„ aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Ec-
„ cleſia diſciplinæ paucos illos adverſari di-
„ gnoſcatur; cum inſuper opinio illa nun-
„ quam in Congreg. Conc. Trident. interpre-
„ tationi præpoſita examinata ſit, quin ſtatim
„ exploſa fuerit, & improbata, quamvis
„ præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fun-
„ damentis, & rationibus innixa perhibere-
„ tur; Canonicis etiam Eccleſiarum Patriar-
„ chalium hujus noſtræ Urbis ſuper hoc in-
„ ſtantibus; cum denique idem judicium pro-
„ latum reperiatur a pluribus Conciliis Pro-
„ vincialibus, ab hac etiam Apoſtol. Sede
„ approbatis, & confirmatis; nihil jam eſſe
„ reliquum videtur, quominus pauciores uni-
„ verſorum legi ſe accommodent. Equidem
„ minime nobis compertum eſt, quo pecu-
„ liari titulo ſuffulti perſuaſum habeant
„ unius, vel alterius Eccleſiæ Canonici, ſe
„ muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in
„ Choro aſſiſtentiam abſque divinæ pſalmodiæ
„ cantu. Verum, niſi illis præſto ſit Apoſto-
„ licum,

„ licum, non præſumptum, vel abrogatum, „ ſed legitimum, ac vigens privilegium, ſive „ indultum, jure, ac merito verendum eſt, „ ne iſti, dum ita ſe gerunt, præbendarum, „ ac diſtributionum fructus minime ſuos fa- „ ciant, & conſequenter, ne ad eorum reſti- „ tutionem teneantur „. Quænam autem requirantur circumſtantiæ, ut Apoſtolicum hujuſmodi privilegium vere ſit legitimum, ac vigens, optime declarat fel rec. Joſeph Maria de Saporitis Archiepiſcopus Genuen. in ſuo Opere, cui titulus *Avvertimenti Paſtorali &c. par.* 1. *cap.* 13. Rem pariter confecit laudatus Bened. XIV. in ſuo Brevi die 19. Januarii 1748. dato ad Cardinalem Patriarcham Delphinum ſuper conceſſione nonnullorum privilegiorum favore Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis Veronenſis, ubi ait: *Iiſdem* (Canonicis) *edicas*, *& notum facias*, *Nos*, *quemadmodum per haſce noſtras in forma Brevis litteras tibi declaramus*, *& injungimus*, *decernere*, *atque ſtatuere*, *ſicut in Conſtitutione noſtra innuimus*, *ipſos*, *ſuoſque ſucceſſores Canonicos Choro quidem intereſſentes*, *adſiſtentesque*, *minime vero canentes*, *pſallentesve*, *nullo pacto ex præbendis*, *& diſtributionibus facere fructus ſuos*, *atque adeo reſtitutioni obnoxios eſſe*, *ac fore*. Ex his omnibus apertiſſime intelligitur, Canonicos in Choro non pſallentes, oſcitanter ſe ſe gerentes, confabulantes, & a Choro abſque rationabili

nabili cauſſa diſcedentes muneri ſuo non ſatisfacere, & quotidianas diſtributiones non lucrari.

Videndum modo, cuinam cedere debeant hujuſmodi diſtributiones a non pſallentibus, vel abſentibus amiſſæ. Sacra Cong. Concilii in *Florentina 17 Januarii* 1697. inquit: *Diſtributiones a Canonicis abſentibus amiſſæ accreſcunt inſervientibus, adeo ut ab Epiſcopo non poſſint applicari fabricæ Eccleſiæ, aliiſque uſibus piis*. Eadem S. C. *16. Julii* 1695. ita decrevit: *Nec Canonici, non obſtante ſtatuto, conſuetudine, aut pactione contraria, poſſunt ſibi invicem remittere, & condonare diſtributiones*. Et ſane nulla remiſſio, & condonatio fieri poteſt de iis, quæ aliis ſunt debita, ut conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de reform.*: *Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant*. Neque ad evincendum, amiſſas a Canonicis diſtributiones inter præſentes non eſſe dividendas, juvat opponere textum citati Tridentini *ſeſſ.* 22. *c.* 3. *de reform.* ſtatuentis, amiſſas diſtributiones *fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco* applicandas eſſe *arbitrio Ordinarii*. Nam idem Concilium hæc habet *ſeſſ.* 21. *c.* 3. *ibid.* *Quæ* (diſtributiones) *inter Dignitates obtinentes, & cæteros divinis intereſſentes, proportionabiliter juxta diviſionem ab Epiſcopo, etiam tanquam Apoſt. Sedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione faciendam, dividantur* . . . .

non

non obſtantibus exemptionibus, ac aliis conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Ne ergo dicamus, aliquam in Tridentino reperiri contradictionem, verba Concilii ita ſunt intelligenda, ut, quum ſtatuit, diſtributiones Dignitatum abſentium inter præſentes eſſe dividendas, de iis ſolum loquatur Dignitatibus, quæ de menſa Capitulari participant; quando vero diſtributiones Dignitatum abſentium fabricæ, aut alteri pio loco applicandas eſſe decernit, de iis tantum intelligi debet Dignitatibus, quarum redditus a menſæ Capitularis redditibus ſunt ſeparati, uti cohærenter ad reſolutiones S. Cong. Conc. aſſerit Fagnanus cap. *Quia nonnulli num.* 22. *& ſeq. de Clericis non reſident*. Vid. Bened. XIV. *cit. inſt.* 107. § 7.

Julianus igitur Collegiatæ Eccleſiæ Canonicus, Punctatoris munere fungens, ad continuos conſcientiæ remorſus a ſe removendos, ortos nempe ex eo, quod ad quotidianas diſtributiones admiſerit quoſdam Canonicos, ut in caſu, culpæ ſuæ, quæ certe levis non eſt, a Deo veniam petat, & juxta deciſionem ſuperius allatam S. Cong. Conc. *in Converſan.* de proprio reſtituat. Quia vero delinquens Canonicus magis debitor eſt, quam Punctator, quum ipſe reſtituere debeat ex re indebite accepta, Punctator vero ex ſola negligentia ſui muneris; poterit Pnnctator certiorem facere Canonicum de indebita acceptio-
ne

ne diſtributionum: quo fiet, ut ſi Canonicus reſtituat, liberetur ab hoc onere Punctator; quum tota ratio reſtituendi ſit, ut intereſſentium Canonicorum indemnitati conſulatur. Quod ſi anceps fuerit Punctator, & in libro punctationum deſignare neglexerit, quo tempore, & a quibus Horis Canonicus abfuerit, vel alio modo defecerit, conſulat Epiſcopum, ſuamque fateatur culpam; & Epiſcopus ea, qua pollet, in dubiis decidendis facultate rem componat, & ſimul inſtruat ipſum Punctatorem verbis Benedicti XIV. *Inſt.* 107. §. 14. *Hortamur Punctatores, ut rationem ipſis propoſitam accuratiſſime teneant. Inſuper eos monemus, ſi negligenter ſe geſſerint, teneri de ſuo reliquis Canonicis perſolvere omnem fructum, quem ex aliorum abſentia percepiſſent, ſi notati diligenter, ac merito fuiſſent. At quoniam admoniti fuimus, plures inveniri, qui petulanter minitentur, ſi notentur abſentes, & qua lubet hora ad officia divina convenire ſibi arrogant; ideo præcipimus, ut eorum nomina Punctator nobis deferat, quibus ob inſolentiam debitas pœnas irrogabimus, ut reliqui omnes ſollicitudine vindicentur.*

Ad II. propoſiti dubii partem ex præjactis ſponte ſua fluit reſponſio, ſcilicet perceptas indebitas quotidianas diſtributiones a dictis Canonicis eſſe reſtituendas, quarum diſtributio inter intereſſentes tempore fallentiæ facienda eſt. Neque ab hoc reſtitutionis onere eos excu-

excuſare poteſt antiquæ conſuetudinis, vel præter ſi privilegii prætextus, ut evidenter, præſertim ex Conſtitutione, & Brevi Benedictinis demonſtravi. Caveant ergo omnes Canonici, ne in aliquem ex ſignatis defectibus incidant, neque inveteratæ conſuetudinis, aut alio quocunque prætextu ſe in errorem induci patiantur; alias & pro abſentibus habebuntur, & a reſtitutione acceptarum diſtributionum, quæ inter intereſſentes erunt dividendæ, eximi non poterunt, ut notat Bened. XIV. *in cit. Inſt. 107. §. 15.* his verbis: *Itaque ſiquis Canonicus hæc facere detrectaret, & vix Chorum ingreſſus fuit, ſtatim prodiret, idque ſæpius iteraret, ut cum externis in alia Eccleſiæ parte, ſive ſacrario ſermones intermiſceat: ſiquis etiam libros, aut alia ſcripta præ manibus haberet . . . . , compertum certumque habeat, id ſibi nequaquam licere, diſtributiones haud lucrari, & inter notandos, tanquam revera abſentes a Choro, debere referri*. Itaque Canonici ita divina officia colant, *ut alii eorum exemplo ad ſtudium, & amorem divini cultus accendantur*. Conc. Med. I. Prov. *par. 2. tit. de iis, qui dignitates &c.*, nec conſuetudinem ex tacito Epiſcoporum ipſos non punientium conſenſu approbatam ſentiant. Sapientiſſimis edictis ipſam conſuetudinem ſemper improbarunt Epiſcopi, & Pontifices, licet Epiſcopis, & Pontificibus contumacium aliquando pervicacia reſiſtat.

H *Mores*

Mores iſti, ita ad rem facit, quod ſcribit Cl. Berardi in ſuo Opere poſthumo *Inſtit. Jur. Eccl. par. 1. tit. 23. §. 11.*, *jure optimo appellantur abuſus*, *& corruptelæ; quid aliud enim inde colligitur*, *quam contentio hinc Præfectorum Eccleſiæ certa utilia conſtituentium*, *illinc pervicacium ſubditorum Præfectorum poteſtati refragantium? Si Præfecti a pœnis inferendis abſtineant*, *argumentum hoc erit patientiæ*, *indulgentiæ*, *nunquam veræ conſenſionis*. Pudeat ergo Canonicos corruptelam conſuetudinis nomine fucare, ſomniata privilegia comminiſci, ut poſſint *ſtatuarum more in chori ſubſelliis locati*, *divinas laudes ab aliis concelebrari audientes*, *ſilentium ſervare*, Bened. XIV. *de Syn. Diœc. lib. 11. cap. 3. n. 8.*, *et comparari ſimulacris*, *quæ muta in ſuis ſedibus immorantur*. Idem *Inſtit. 107. §. 3.*

Mense Februario.

Gherardus homo Laicus Bacchanalium tempore religioſo, ſeu eccleſiaſtico habitu perſonatus in publicum prodire ſolet; & e contra Baſilius vir Religioſus, ſeu eccleſiaſticus laico habitu perſonatus per urbem incedit.

Quæritur I. An Gherardus peccatum lethale committat, atque etiam ſacrilegii reus dici debeat.

II. An Baſilius, præter culpam mortalem,

ſem, excommunicationis vinculo innodetur; & dato, quod excommunicationem incurrat, cui ſit reſervata iſthæc excommunicatio.

DECISIO.

NEmini profecto ignotæ ſunt lacrymæ, quibus pia Mater Eccleſia bacchanalium tempore tot filios in fœda oblectamenta univerſali quadam contagione abreptos miſere deflet. A primis pene Eccleſiæ temporibus omnes tum Græci, tum Latini Patres, & Præſules, pietate æque ac doctrina præclari, graviſſimis ſermonibus, & homiliis inſectati ſunt profanam hujuſmodi inſanientis mundi, & plenam undique periculi lætitiam. Quod ſi tot mediis, ac ſaluberrimis monitis, ab hac ſuperſtitione ut Fideles temperarent, penitusque abſtinerent, Eccleſia obtinere non potuit; ſanctiſſimis tamen legibus cautum eſt, ne effræni quadam inſaniendi licentia bacchanalium amatores, quaſi præruptis aggeribus, omnes pudoris, & verecundiæ limites tranſilirent, & ſacra impio, pudendoque auſu profanis miſcerent. Sic *Cap. Cum decorem de vit. & honeſt. Cleric.* vetitum fuit, ne ludi theatrales fierent in Eccleſiis, *ne per hujuſmodi turpitudinem Eccleſiæ inquinetur honeſtas*, ait Innocentius III. in dicto *Cap.* Semper etiam vetitum fuit univerſis, qui larvas gererent, ne

Sacerdotis, vel Regularis, aut Solitarii alicujus ſimulata indumenta ſibi deſumerent, neque Monialium veſtibus, lineis tunicis, ſuperpelliceis, birretis, aliiſve rebus uterentur, quæ ſacrum aliquid, vel Eccleſiaſticum referrent: *Gloſſ.* verbo *Monſtra larvarum in cit. Cap. Cum decorem*. Hoc ipſum particularium Eccleſiarum ſtatutis conſtanter fuiſſe improbatum, & hujuſcemodi corruptelis cavendis per Sacras Congregationes abunde fuiſſe conſultum affirmant Benedictus XIV. *Inſtit.* 37., & Monacellus. Edicta ſuper hac re Romæ promulgata refert Paciuchellus, Eccleſiaſticæ Ditionis, & Florentinæ referunt Bonſinius, & Rainaldus, aliique aliarum Eccleſiarum; quæ ſanctiones exhibent procul dubio uniformem hac in re Eccleſiarum praxim, & conſenſum. Sacris Canonibus conſonant ſæcularium Principum decreta, quibus non ſolum interdicitur, laicum quemlibet religioſi hominis ſchemmate, aut veſtibus abuti, ſed inſuper ſit poteſtas Epiſcopis ſevere animadvertendi in delinquentes: *§. final. de SS. Epiſcopis L. Mimæ eodem tit.* Celebris eſt hac in re Juſtiniani Imperatoris authentica *de SS. Epiſcopis tit.* 15. *c.* 44 *Omnibus itaque*, verba ſunt Auguſti Legislatoris, *generaliter in ſæculari vita converſantibus, & maxime theatralia exercentibus, nec non & proſtantibus interdicimus, uti ſchemmate Monachi, aut Monaſtriæ, aut Aſceteriæ, aut cujuſvis* per-

perſonæ hujuſmodi imitari ſchemma, ſcientibus univerſis præſumentibus aut uti tali ſchemmate, aut imitari, aut illudere in quacunque Eccleſiaſtica diſciplina, quia & corporalia ſupplicia ſuſtinebunt, & exilio tradentur.

Ex adductis tum Eccleſiæ, tum Principum legibus Doctores paſſim docent, graviter delinquere Laicum, qui inter bacchanalium deliramenta religioſo, ſeu eccleſiaſtico habitu perſonatus in publicum prodeat. Unum ex Canoniſtis affero Barboſam, qui de hac agens quæſtione in laudato *Cap. Cum decorem* ſic rem totam abſolvit: *Quare minus cum habitu monachali, ſeu religioſo ſe accomodare debent hiſtriones, & hujuſmodi, dum comœdias agunt, ſeu larvati incedunt, ut dixit Gloſſa v. Monſtra larvarum .... Si enim id facerent, mortaliter peccarent, & venirent graviter puniendi, ut reſolvunt DD.... & ideo poterit Judex Eccleſiaſticus punire Sæculares induentes habitum Regularium in ludibrium, ſeu per jocum, veluti in comœdiis, theatris, & hujuſmodi.* Plures tum ex Sacrorum Canonum Interpretibus, tum ex Jureconſultis addi poſſent, idem cum Barboſa ſentientes, Borellius *lib. 3. de Magiſtratibus*, Balthaſar de Angelis *ad Pragmaticam de Antiſato*, Afflictus *in 1. & 2. lib. Codicis L. Mimæ de Epiſc. Audient.*, Urſaya *tit. quæ ſunt regalia*, aliique bene multi. Ex Theologis, qui de chriſtianis moribus quæſtiones pertractant, alterum

exhibeo, Sylveſtrum nempe, qui in ſua Summa *v. Habitus* inquirens, *utrum Laicus utens veſte religioſa maſculorum, ſeu fœminarum cauſſa ludi peccet mortaliter*, ita dubium reſolvit: *Dico, quod non, ſi ex levitate fiat, & ſine irriſione, & turpitudine; quia aliter eſſet nimis durum, nec aliquo jure probabile. Si autem fiat hoc cauſſa ludibrii, id eſt vituperii, dicit Gloſ. in Cap. Cum decorem, prohibitum eſſe uti habitu monachali, vel alio religioſo, & quod hoc faciens graviter punitur, & ſic videtur mortale peccatum. Immo ſi non fiat hac de cauſſa, ſed tamen in rei veritate fiat cum ludibrio, ut cum deferuntur laſcive vere, vel apparenter, ut vulgo dicitur* in maſchera, *videtur omnino mortale, quia eſt magna irriſio Dei in Sanctis ſuis*. Hactenus Sylveſter, quem ſequuntur Bartholomæus Fumus, Navarrus, aliique paſſim recentiores. Præterea id etiam ratio apprime ſuadet. Nam proximo illudere in re gravi, quis neget crimen eſſe ex genere ſuo mortiferum? Porro quod ita agens proximo in re gravi illudat, nulli dubium; quodque graviſſimum malum ex hoc ipſo religioſorum indumentorum uſu dimanet, facile dignoſcitur. *Siquidem*, ut notat Bened. XIV. *in cit. Inſtit. n.* 4., *contemptus in regulares Ordines excitatur, & in eos præſertim, qui arctiori diſciplina Deo conſecrati virtutibus excolendis omnem curam, ſtudiumque impendunt*. Gherardus ergo homo lai-

laicus agens, ut in caſu, peccatum lethale committit. Quod ſi ejus inſaniendi licentia eo deveniat, ut veſtibus, aut ornamentis ab Eccleſia in ſacro myſterio peragendo aſſumptis abutatur, etiam ſacrilegii reus dici debet, quod clarum ſit ex vulgatiſſima ſacrilegii partitione; proindeque pœnis ſubjectus, quæ contra ſacrilegos tum eccleſiaſtico, tum civili jure ſancitæ ſunt. Et hæc quoad I. quæſtionis partem dicta ſufficiant.

Ad II Inter leges de vita, & honeſtate Clericorum, quas Benedictus XIV. *de Syn. Diœc.* lib. 11. c. 10. n. 11. *vero Eccleſiæ ſpiritu refertas, omniumque Conciliorum auctoritate munitas* appellat, plures recenſentur, quibus Clericis interdicitur, ne perſonati audeant incedere. Sic *cap. Cum demum* 12. *de vit. & honeſt. Cler.*, *Cap. Nullus diſt.* 44., *Cap. Nullus Presbyterorum diſt.* 5. *de Conſecr.*, *Conc. Mediol.* 1. *par.* 2. *tit. de armis, ludis &c.* Talis prohibitio poteſt ab Epiſcopo extendi etiam ad Regulares, prout laudando Epiſcopum Ferrarienſem reſpondit *S. Congr. Epiſc. & Regul.* 5. *Feb.* 1585. Poſſe etiam in Clericos incedentes perſonatos tempore Bacchanalium imponi ab Epiſcopo pœnam excommunicationis, declaravit S. Congr. Conc. *in Mantuana* 10. *April.* 1645. Itaque ex relatis canonibus, atque ex pluribus peculiarium Eccleſiarum decretis ſancitur, ne Clerici inſanientis mundi volupta-

tibus capti, laſcivientium hominum cœtibus ſe immiſceant, ne clericalis gravitatis immemores perſonati incedant. Id agit Baſilius laico habitu perſonatus per urbem incedens; a gravi igitur crimine excuſari minime poteſt. Id ipſum, ut ſcribit P. Concina *Theol. moral. tom.* 10. *lib.* 1. *diſt.* 2. *num.* 21. „ affirmant communiter omnes vel ipſi benigniores Probabiliſtæ, uno excepto Marco Vidal, cujus opus proſcriptum eſt. Vix aliquem Theologum alicujus auctoritatis reperies, qui Clericos tempore bacchanaliorum larvatos incedentes excuſet a peccato mortali. Audi unum Dianam, qui *tom.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 6. quærit, *An Clerici incedentes per civitatem in diebus bacchanalibus perſonati peccent mortaliter? Puto non eſſe recedendum a communi ſententia Doctorum, nempe in tali caſu Clericos ſæculares, & regulares peccatum mortale committere*.

Quod ſi Baſilius incedens larvatus, ut in caſu, ſit Religioſus, ſeu regularis, præter culpam mortalem, excommunicationis etiam vinculo innodatur propter temerariam habitus dimiſſionem, *Cap. Ut periculoſa, ne Cler. vel Monachi in* 6. Hanc excommunicationem Papæ reſervatam immerito dicit Antoine in *tract. de obligationibus cap.* 1. *qu.* 2.; & miratus plane ſum, hunc Auctorem ad id probandum adducere idem *Cap. Ut periculoſa*, in quo cer-

certe Bonifacius VIII. nec ſibi, nec ſucceſſoribus dictam excommunicationem reſervavit; unde ipſam in numero excommunicationum non reſervatarum referunt Monacell. *Formul. leg. pract. tom. 3. in Præludio*, & Joſeph de Saporitis in ſuis *Inſtruct. Paſtoral.* Quamobrem dictam excommunicationem nemini reſervatam cenſeo; non quod me lateat diſputari inter Doctores, utrum excommunicationes, in jure non reſervatæ, reſervatæ intelligantur Epiſcopis; ſed quia negativa ſententia verior ſemper mihi viſa fuit, eamque probabiliorem, & a S. Thoma approbatam dicit Natalis Alex. *Theol. Dogm. mor. tom. 2. de Cenſur. cap. 1. art. 8.*

Mense Martio.

Conſtantia ad vitæ extremum redacta pro exoneratione conſcientiæ ſuæ aperit filiis ſuis ad ſe vocatis, alterum eorum eſſe illegitimum, parata eum revelare, niſi pactum ineant ab invicem, ſibique remittant: qua conventione ſequuta, Sergius unus ex Fratribus quærit a viro Theologo,

I. An reciproca remiſſio teneat.

II. An valeat ad Ordines promoveri.

DE-

DECISIO.

RESponſioni præmittendum eſt, matrem hanc pro exoneratione conſcientiæ ſuæ non coarctari ad revelationem filii adulterini juxta tritum illud adagium: *nemo tenetur detegere turpitudinem ſuam*, & quia durante tali deceptione non ei denegatur pœnitentia: ut *ex Cap. officia extra de pœnitentia*; tametſi teneatur aliis modis ſe levare ab onere injuſtitiæ legitimis irrogatæ, propter quam ipſi paterna hæreditate fraudantur. Sanctus Raymundus *in ſumma lib. 2. tit. de rapt. §. 10.* plures enumerat modos, quibus adultera poteſt legitimis compenſare damnum illatum; at vult omnes adhiberi ſecreto, & per medium pœnitentiale, ne deinceps ex imprudenti matris aſſertione innumera ſcandala, vel pericula haud dubie oriantur. Ab his recenſendis ſuperſedeo, cum ad rem noſtram nihil conferant, imo ab expedita hujuſce caſus reſolutione longiſſime avertant. Præmittendum quoque eſt, filium non debere matri infamiam ſuam alleganti credere tam pro foro interno, quam externo; tametſi illa præſtito juramento eum eſſe illegitimum fateatur: *Cap. per tuas 10. de probat.*, & in hoc conveniunt quamplurimi Canoniſtæ, quos citat Fagnanus *lib. 3. Decretal. Cap. Cum eſſet*

10.

10. de teſtament num. 104.; præterquam quod Legiſtæ omnes filium hoc in caſu maternis verbis cito fidentem nimiæ levitatis incuſant.

Hiſce præjactis, dico remiſſionem hanc valere, donec ignoratur illegitimus, quoniam controverſia fuit de ſingulis; quin etiam, ſi ſtante matrimonio, quiſque reputatur legitimus, potuit jure civili, & canonico adire hæreditatem; nam in dubio favor prævalet pro prole, & nihil officit aſſertio matris, nam ut ſupponatur delictum, debet ab accuſatore comprobari. Jura id ſapienter ſtatuerunt, ne parentes uni vel alteri ex liberis procreatis præjudicium inferrent ſive ducti ex odio, ſive ex quocunque alio iniquiſſimo prætextu. Inſuper fratres nonniſi propter incertitudinem ſibi invicem condonarunt; quapropter perfecerunt oneroſum illum contractum, a quo tuta conſcientia nemo poteſt pro libito reſilire. Igitur Theologus, cui ex officio competit fraternam promovere concordiam, debet Sergio ſciſcitanti reſpondere, reciprocam valere remiſſionem in re tam dubia & quiete finita, ne in poſterum tanta excitetur contentio, quæ ſingulis nocere potius, quam prodeſſe poſſit.

Quod ſi Sergius foret ille, qui ex ſecreta, ſed evidenti matris relatione, de qua prudenter dubitare nequiverat, ſe certo noverit illegitimum, & hac uſus ſit remiſſione,

ne, ut partem invaderet hæreditatis; cenſeo contractum irritari in foro interno relate ad ipſum, quia ſciebat injuriam cæteris irrogatam, & quia una cum legitimis mala fide tranſegit. Sic Fagnanus *in Cap. Officii de pœnit. & remiſ.* Unde Theologus debet Sergium interrogare, ſi tranſactionem iniverit fraude, ut illi reſpondeat, quoad ipſum non valere contractum, immo ad reſtitutionem obſtringi, ſiquid recepit hæreditatis, cum læſam habuerit conſcientiam: *quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent.*

Superius dixi validam eſſe tranſactionem bona fide factam; *donec ignoratur illegitimus*; quia ego contra Doctorum quorumdam opinionem aſſero, quemcunque legitimum poſſe ab hoc contractu recedere, atque ab eo deficere, quod promiſit, ſi ex teſtimonio aliorum fundato ſuper nimiam abſentiam, aut diutinam infirmitatem, vel probatam impotentiam mariti non valentis tunc matrimoniale habere commercium cum uxore dignoſcitur, qui fuit ex damnato coitu genitus, licet nemo ex fratribus id inquiſiverit. Ratio eſt, quia tranſactio hæc ortum habuit ex gravi metu injuſte incuſſo, & nedum cadente in meticuloſos adoleſcentes, verum etiam in conſtantem virum, qui nullum ex ipſa referens commodum conſulit rebus ſuis eo modo, quo poteſt; cum nemo ſit, qui utilitatem

tem ſuam non ſtudioſiſſime perſequatur. Revera ſi non compuliſſet omnes timor infamiæ, & periculum amittendæ hæreditatis, quis fratrum indulſiſſet mutuæ condonationi illius damni, quod emergit ex dividenda in æquas partes hæreditate? Non tamen inficior, quod remiſſio ſtricte ſumpta ſit valida, ut quicunque alius contractus ex gravi metu celebratus; quia gravis metus etiam injuſte incuſſus ſive abſolute, ſive reſpective ſpectetur, nunquam cogit voluntatem quoad actus elicitos; alias impediret liberum ſufficiens ad lethale peccatum. At in utroque foro reſcindi poteſt arbitrio metum paſſi, & propterea dixi validam eſſe tranſactionem ante Judicis ſententiam: quod totum confirmatur jure canonico *de iis, quæ vi &c.*, tum civili *toto tit. ff. de eo, quod metus cauſa &c.*, ubi habet, quod ea, quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. Nec valet, metum fuiſſe a tertio incuſſum, ſcilicet a Matre, & non a contrahente; quia quilibet conſenſus vitio metus graviter affectus minuit voluntarium circa ſubſtantialia, remanente ſemper jure nedum in perſonam, quæ injuriam intulit, ſed etiam in rem tranſactam, quæ, quum vi, aut metu fuerit condonata, ſolide, & irrevocabiliter in alterum non transfertur *L. 9. ff. de eo quod metus cauſa &c.* Id negare videtur Alciatus, qui *lib. 3. de præſumpt.* putat ſatis con-

conſultum conſcientiæ Matris, ſi minetur in hac circumſtantia indigitare, quis inter filios ſit adulterinus, ut omnes timore perculſi in mutuam damni condonationem conſentiant. At doctiſſimus Covaruvias Hiſpalenſis Epiſcopus *101. relect. Cap. Peccatum de regula juris in 6. parte 1.* reſpondet, per hanc cautelam minime tolli damnum legitimis illatum. *Siquidem mutua hæc abſolutio ſpontanea non eſt, ſed coacta: is etenim filius, qui legitimus eſt, nullum ex ea comodum habet, ſed damnum patitur: nec id remiſiſſet, ſi certo ſciret, alterum fratrem ex adulterio conceptum fuiſſe: imo coactus metu, ne forſan a matre ſpurius manifeſtaretur, eidem deliberationi conſentit, qui conſenſus non eſt ſufficiens.* Alii volunt, hujuſmodi tranſactionem dummodo ſine dolo celebratam valere, nec irritam reddi ob poſteriores cognitiones, & proferunt litteralem textum legis *Sub prætextu* 19. *cod. de tranſact.* ſic dicentem: *Sub prætextu inſtrumenti poſt reperti tranſactionem bona fide finitam reſcindi jura non patiuntur.* At ibi ſermo non fit de tranſactionibus ortis ex gravi metu; quod ſi aliquis metus habetur, a cauſſa neceſſaria proficiſcitur, ſcilicet a deficientia inſtrumenti, vel a ſola incertitudine litis; & damnum acceptum a ſervatis expenſis compenſatur. In caſu noſtro metus eſt proveniens a cauſa libera, ideſt a Matre ſciente illegitimum, quæ nullo modo poterat ita incu-

incutere metum infamiæ cæteris legitimis, ut ad reciprocam remiſſionem inviti devenirent. Quapropter Theologus reſpondeat Sergio aſſerenti, ſe noſſe nunc eum, qui fuit ex nefario coitu procreatus, quod jure poteſt ab inito contractu reſilire, ſi velit; quod dicendum de reliquis legitimis, quando tractu temporis adulterinus evidenter innoteſcat.

Nunc progredior ad ſolutionem ſecundi quæſiti: & præmitto, impedimentum natalium ad ſuſcipiendos Ordines primum fuiſſe conſtitutum quoad filios Presbyterorum ad reprimendam Sacerdotum incontinentiam; idque contigit undecimo ſæculo, quæ poſtea irregularitas extenſa eſt ad omnes illegitime natos, ut turpia parentum ſcelera puniantur etiam in filiis, & ut Eccleſiæ claritas a vitioſa miniſtrorum origine non obſcuretur. Hoc poſito: ſi Sergius putat ſe non eſſe illegitimum, ſine diſpenſatione poteſt ad Ordines promoveri, quando vitiis, aut inſcitia non laboret; quia in dubio præſumptio eſt pro favore prolis, cum delictum non præſumatur, donec probetur. Jure Canonico illi ſolum dicuntur filii illegitimi, qui ex ſolutis parentibus ortum habent; unde in viribus matrimonii in facie Eccleſiæ contracti quiſque filius habet fundatam rationem ſe declarandi legitimum, tametſi mater quandoque fuerit adultera, cum hæc, nondum ſejuncta a viro

ſuo;

ſuo, incerta ſit, an ex coitu mariti, vel adulteri conceperit: ex textu *in l.* 1. *§ Si mulier ff. de lib. agnoſcen.* Vel Sergius revera eſt adulterinus, nec occultum eſt hoc impedimentum, & tunc a ſuſceptione Ordinum repellendus, niſi obtinuerit diſpenſationem quoad Ordines minores ab Epiſcopo, vel ſede vacante a Capitulo, & quoad Ordines majores a Summo Pontifice, ſecundum jus novum Tridentini Concilii *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reformatione*. Ratio eſt, quia hoc impedimentum eſt juris tantummodo poſitivi humani, ſeu Eccleſiaſtici, ſupra quod Papa poteſt dignis de cauſſis diſpenſare, & quicunque ab ipſo habuerit ex ſpeciali privilegio diſpenſandi facultatem: *Cap. Propoſuit* 4. *de conceſſion.* Dixi *quando non eſt occultum impedimentum*; quia nondum definita eſt illa quæſtio a Doctoribus ventilata, an poſſit Epiſcopus diſpenſare ſuper quocunque impedimento occulto. Probabilius tamen eſt, Synodum Tridentinam *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* duntaxat Epiſcopis permiſiſſe diſpenſationem circa irregularitates ex delicto occulto, non ex defectu dimanantes.

Natalium defectus tollitur omnino religioſa profeſſione, ita ut qui Deo ſolemnibus votis conſecratur, illico fiat idoneus ad ſuſcipiendos omnes Ordines abſque diſpenſatione; quod non eſt extendendum ad Epiſcopalem

palem dignitatem, aut regulares Prælaturas, *ex Cap. Ut filii extra de filiis Presbyterorum non ordinandis*.

Dicat ergo Theologus Sergio ſolum dubitanti de ſua origine, poſſe abſque ulla diſpenſatione ad ordines promoveri, ſed illa indigere, ſi eſt illegitimus, licet non manifeſtus, & neceſſariam non eſſe illi tantum, qui religionem approbatam ingreſſus vota ſolemnia emiſit.

Mense Aprili.

Terentius cujuſdam Epiſcopi miniſter accedit ad Maurum Sacerdotem aſſeverans jurejurando, ſibi conceſſam fuiſſe a ſuo Epiſcopo facultatem contrahendi matrimonium cum Victoria coram quolibet Sacerdote, quod exinde coram ipſo Mauro contraxit. Verum Epiſcopus hoc audiens factum improbavit, & Sacerdotem ſuſpendit a divinis, proteſtatus ſibi non conſtare de data Terentio licentia. Hinc Victoria viri mores jam exoſa petit a matrimonio, licet jam conſummato, reſilire.

Quæritur I. Quid ſentiendum de valore hujus matrimonii.

II. An Maurus jure ab Epiſcopo fuerit ſuſpenſus a divinis.

III. An Victoria tuta conſcientia a matrimonio reſilire poſſit.

DECISIO.

ADitum præſenti diſputationi ſatis occluſum putarunt Patres in Genuenſi Provinciali Synodo ſub Illuſtriſs. & Reverendiſs. Cypriano Pallavicino congregata, in qua fuit ita decretum *ſub tit. de Sacram. Matrim.*: *Quoniam inter copulatos quandoque controverſiæ exiſtunt, quum ambigitur, num Sacerdos, qui illos matrimonio junxit, quum Parochus non eſſet, de Epiſcopi, vel Parochi licentia id fecerit; propterea ſtatuit Provincialis Synodus, ne cui Parochus, vel Epiſcopus eam faciat poteſtatem, niſi gravior aliqua cauſſa impulerit. Id autem ſi contingat, adhibeatur Scriba, vel ſaltem tres teſtes, quorum teſtimonia intra triduum in acta recipiantur*. Aditum pariter occludere volens Benedictus XIV. quamplurimis ſuper matrimonii nullitate quæſtionibus, quas ex licentiis hujuſmodi incauta facilitate conceſſis ipſe fatetur exoriri, laudat Epiſcopos illos, qui *diligentiſſime cavent, ne ad libitum hac ſua auctoritate utantur .... cuilibet potius Sacerdoti, quam proprio Parocho facultatem, ut in matrimoniis contrahendis intereſſe poſſit, committendi, niſi ubi ineluctabilem neceſſitatem ita exigere animadverterint*. Et ita ſervari in ſua Conſtitutione mandavit, quæ incipit *Nimiam licentiam*.

Jam vero vel Terentius mentiendo perju-

rat,

rat, vel Epiſcopus implicatæ nimium quæſtioni occluſum aditum inordinata conceſſione reſeravit. Vis infertur ingenio, ſi credimus, Epiſcopum talem conceſſiſſe licentiam, conceſſiſſe ſuo miniſtro, & hanc conceſſionem ipſi mente penitus excidiſſe. Eſto, voluerit Epiſcopus ſecretum ſui miniſtri matrimonium; at etiam in ſecretiſſimis conſcientiæ nuncupatis matrimoniis ſolerter oportet verſari Epiſcopos, & Parochum alterius ex contrahentibus debent ad id munus deputare: *& gravi impellente cauſa is Sacerdos a vobis eligatur, qui probitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur .... veſtrum erit poſtea diligenter incumbere, quod ad perennem geſtæ rei memoriam documentum* (de celebratione matrimonii) *fideliter tranſcribatur:* ita Epiſcopos monet Benedictus XIV. *in Conſtit. quæ incip. Satis vobis.* Difficile ergo fuit, Epiſcopum, qui Conſtitutiones Apoſtolicas probe callere debet, *ut ipſi in promptu ſit ad earum præſcriptum ſe gerere*, Bened. XIV. *de Synod. Diæc. lib. 6. cap. 11. n. 3.*, licentiam directe Conſtitutionibus oppoſitam conceſſiſſe, & omnia neglexiſſe, quæ ad geſtæ rei memoriam conſervandam oportebant.

Difficile quidem fuit; ſed quod alias contigit, contigiſſe potuit, & contigiſſe credidit Maurus, qui jurata Terentii aſſertione fidens matrimonio interfuit. Licentiam ab Epiſcopo

datam contrahere volentibus, ut *matrimonio inter ſe celebrando quemvis Sacerdotem eorum arbitrio adhibere poſſint*, ad validitatem matrimonii ſufficere declaravit Sacra Congregatio, Fagnan. *in Cap. Quod nobis de clandeſt. Deſponſ. n. 32.*; Sacerdos tamen facile aſſenſum præſtare non debet aſſerentibus, ſe talem habuiſſe licentiam: in iis enim, quæ ad rectam fori externi gubernationem pertinent, nimiam credulitatem reprobant leges, & canones. Sic de jure civili commodatarius, qui rem commodatam reſtituat miniſtro commodantis, aſſerenti ſe mandatum habere de re recipienda, damnum ſuæ nimiæ credulitati imputare debet, ſi miniſter eum fingendo decepit: Voet *in Pandec. lib. 13. tit. 6. n. 6.* Et de jure canonico fides neganda eſt aſſerenti, ſe abſolutionem a cenſuris obtinuiſſe, niſi ſuper ſua abſolutione literas abſolventis reportaverit: *Cap. 39. de ſent. excom.* Aliquando tamen nimiam credulitatem jura non damnant: hinc commodatarium a damno, ſi res reſtituta pereat, leges abſolvunt, *ſi ipſe æſtimare non debuit, ut a quibuſdam malis hominibus deciperetur, L. Argentum ff. commodat.*; & Nicolaus Papa proteſtatur, ſe recepiſſe Ludovici Imperatoris Legatum, licet contra morem Principis literas ſuper ſua legatione non afferret, quia fidem ejus verbis honeſtum erat adhibere: *Can. Nobiliſſimus diſt. 97.*

Quid

Quid ergo, ſi Maurus æſtimare non debuit, ut deciperetur a Terentio, & fidem ejus verbis honeſtum fuit adhibere? Doctores, qui paſſim affirmant, fidem eſſe denegandam aſſerentibus ſe habere licentiam ſupradictam, hoc limitant in caſu, quo aſſerens ſit perſona fide digna, & non ſuſpecta, Engel *lib. 4. tit. 3. n. 16.* Talis fuit Terentius reſpectu Mauri, unde in eo vafritiam ſuſpicari neſcivit, imo honeſtum forte putavit ejus verbis aſſentiri: Terentius ſiquidem non ſimpliciter aſſeruit, ſed juravit, & ex diſpoſitione canonica, *Cap. In tua Qui matrim. accuſ. poſ.*, *& Cap. Continebatur de Deſponſ. impub* aliquando aſſerenti non creditur id, quod mox juranti creditur. Terentius eſt miniſter Epiſcopi; Epiſcopos ſuæ domui bene præpoſitos oportet miniſtros habere bonis moribus, & bona fama præditos, Monacel. *tom. 1. tit.* 1. *n. 16.*; ideo ex miniſtrorum cum Epiſcopo ſocietate eorundem favore præſumitur, ut ex Canone deducit Gloſſa, *Can. Pervenit* 2. 7. *verbo Societate.* Credidit itaque, & matrimonio Maurus interfuit, & matrimonium ſic contractum in hac facti ſpecie præſumptionem habet validitatis, Monacel. *tom.* 1. *tit. 8. form. 9. n. 14.* Et ſi Epiſcopus audito facto illico ſibi non conſtare dixit de data licentia, poſtea meliore fortaſſe memoria conſtabit: interim tamen præſumptio ex Epiſcopi negativa non tollitur;

veriſimilis ſiquidem negatio rem dubiam efficit, Fagnan. *in Cap. Si Clericus de foro compet. n.* 3.: at in dubio pro matrimonio jam contracto ſemper reſolvendum eſt, Gaſp. *inſt. can. p.* 2. *tit.* 11. *n.* 30., eo quod *tolerabilius eſt*, ait Innocentius III., *Cap.* 47. *de teſt. & atteſt.*, *aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta Domini ſeparare*. Quia tamen a principio dicta animum magis inclinant ad fidem præſtandam Epiſcopo, & quia ex infra dicendis Epiſcopi dictum magnæ eſt auctoritatis & ponderis; ideo non Epiſcopo, ſed Terentio debet onus probationis incumbere, & hanc plurium DD. ſententiam ſequitur Monacellus *tom.* 1. *tit.* 8. *form.* 9. *n.* 14.

Ex huc uſque dictis facile quis poſſet inferre, Maurum injuſte fuiſſe pœna ſuſpenſionis innodatum: pro majori tamen declaratione liceat advertere, quod ſi Maurus nimium credendo deliquit, delictum tamen jam eſt præteritum, & pro delicto præterito cenſuras infligi non poſſe, niſi ſucceſſivam habeat contumaciam, & inobedientiam, communis eſt DD. opinio; ex eo quia cenſura eſt medicina, & non vindicta, ſeu, ut ajebat Innocentius IV. *Cap.* 1. *de ſent. excom. in* 6., *pœna medicinalis, non mortalis, diſciplinans, non eradicans*. Recte tamen diſtingunt Salmanticenſes, & alii *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 1. *p.* 7. *n.* 80., ſuſpen-

ſuſpenſionem ferri poſſe non ſolum per modum cenſuræ, ſed etiam per modum pœnæ, & ſic pro delicto jam præterito; in eo tamen caſu neceſſaria eſt citatio ad probationem delicti gravioris, niſi hoc eſſet certe notorium, & evidens, vel ſaltem neceſſaria eſt monitio, ſi ſuſpenſio feratur, ut locum habeat pænitentiæ, & ut reus in futurum abſtineat, Berardi *infra cit.*; & citatio, & monitio in hac ſuſpenſione defuerunt.

Ulterius non erat omittenda perquiſitio, an delictum Mauri aliqua foret excuſatione dignum, ex qua conſtaret, locum non eſſe ſuſpenſioni. Etenim ſi Maurus abſque licentia Ordinarii, vel Parochi matrimoniis intereſſe poſſe contendit, tandiu *ſuſpenſus maneat, quandiu ab Ordinario abſolvatur*, inquit Concilium Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. matr. cap.* 1.; ſed hæc non eſt Mauri prætenſio. Matrimonio deceptus interfuit, quia Terentius ſuo miniſterio, & Sacerdotis fortaſſe ſimplicitate fretus, eum, in hypotheſi, vaferrimo juramento decepit. At etiam decepti deliquerant illi duo Clerici relati in jure canonico *Cap. Cum univerſorum de rerum permut.*, qui beneficia inter ſe propria auctoritate permutare cæperant; & tamen Innocentius in ea cauſſa mandavit, ut quum *deceptis, & non decipientibus jura ſubveniant .... ſimplicitati venia tribuatur*. In hac vero cauſa decepti Mauri ſimplicitati non ve-

nia, ſed pæna tribuitur dum celeri ſuſpenſione percutitur, omiſſo etiam examine, an attendenda eſſet in caſu doctrina Benedicti XIV. *de Sinod. Diæc. lib.* 10. *cap.* 1. *num* 3., qui monet, *ſuſpenſionem a divinis nec valide propter culpam levem, nec prudenter propter lethalem, quæ gravioribus non accenſeatur, irrogari.*

Quod ſi Epiſcopus tam cito contra Maurum dixit, eo quia ipſum in Terentii fraude participem ſuſpicatus eſt, ex hac ſola ſuſpicione gravioris criminis jure potuit eum, omiſſa quacunque monitione, ſuſpendere non ad indeterminatum tempus, ut videtur in caſu, ſed donec de veritate in judicio conſtaret: at hæc ſuſpenſio hoc modo lata non erit cenſura, non pæna, non pænitentia, pro quibus vel certum & evidens delictum, vel citatio, vel monitio ſemper exigitur, ſed erit ſolummodo ſingularis quædam providentia, qua ab Epiſcopo ſacrorum decori conſulitur, ex cujus violatione irregularitas non contrahitur, uti egregie, & nitide ſatis exponit doctiſſimus Berardi in ſuis commentariis in Jus Eccleſiaſticum *tom.* 4. *par.* 2. *diſſert.* 3. *cap.* 7., *cap.* 9., & *diſſert.* 4. *cap.* 5.

In hac quæſtione Victoria victoriam vellet citius obtinere; ideo petit a matrimonio reſilire, & fortaſſe ſolum petit, quia, ut dicitur in *Can. Requiſiti* 36. 2., *ſuggerente diabolo odii fomitem, exoſum eum habuit*,

fuit, *& idcirco eum dimittere*, *data opportunitate*, *molitur*. Hinc Cæleſtinus III. decrevit *Cap. Super de eo qui cognov. conſang.*,non eſſe ſeparandos conjuges, etiamſi fateantur aliquod dirimens impedimentum, *quum & quandoque nonnulli inter ſe contra matrimonium velint colludere* cohabitationis pertæſi, *Engel lib.* 4. *tit.* 18. *n.* 6.; tuta tamen conſcientia ſtatim Terentium jure ſuo privari poſſe quis dixerit? Epiſcopus ſibi non conſtare dicit, ſeu non recordatur de data licentia; attamen non inde pro nullitate matrimonii ſine alia inveſtigatione decidendum. Plena equidem, & ſine ulla hæſitatione fides dicto unius tantum Epiſcopi videtur adhibenda; quia, ut dicitur in *Can. Omnes* 11. *q.* 1., *Teſtimonium ab uno licet Epiſcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant*, *nec alius audiatur*; *illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum*. Sed omiſſa quæſtione, an genuinis ſit accenſendus hic Canon, qui referendus eſt ad Theodoſii legem, quam recentioribus confictam ſæculis quidam ſuſpicantur, ut notat Berardi *in hunc can.*; omiſſa inquam hac quæſtione, etiam dictum Epiſcopi, præſertim ubi de facto diſputatur,non ſemper veritatis auctoritate firmatur. Affirmabat olim Epiſcopus Albinganenſis relatus in jure canonico *Cap.* 10. *de exceſ. Prælat.*, ſe quaſdam Viſitatorum literas exhibuiſſe Innocentio III. Dictum erat Epiſcopi, ſed dictum non

non erat in facto veritate firmatum; unde Pontifex ad eoſdem Viſitatores ſcripſit: *Nec literas veſtras vidimus*, *licet idem* (Epiſcopus) *ſe nobis illas aſſerat præſentaſſe*. Et quod magis urget, ubi agitur de præjudicio alterius, ut in caſu, *canonica*, *& civilia jura ſequentes diſtrictius inhibemus*, inquit Innocentius III. *Cap. Cum a nobis de teſt. & atteſt.*, *ne unius judicis quantæcunque ſit auctoritatis verbo credatur*, *ſalva in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate*.

Epiſcopi ergo aſſertioni ita credere nequit Victoria, ut ſtatim ſibi licere concludat a matrimonio reſilire, ſed duntaxat de ſui matrimonii validitate dubitare debet, & dubium erit prudens, & diſcretum, ſed nunquam ſufficiens ad matrimonii diſſolubilitatem. Id expreſſe deducitur ex Innocentio III., qui ſuper hac quæſtione requiſitus reſpondet *Cap. 44. de ſent. excom.*, quod ſi coniux de ſui matrimonii validitate dubitet ex levi credulitate, ad conſilium ſui paſtoris, *conſcientia levis credulitatis exploſa*, *licite poteſt non ſolum reddere*, *ſed exigere debitum conjugale*. *Verum*, ſubdit, *quum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili*, *& diſcreta*... *debitum quidem reddere poteſt*, *ſed poſtulare non debet*: & ut explicant communiter DD., tunc conſcientia pulſat animum ex probabili, & diſcreta credulitate, quando conjux a Parocho, vel alia per-

perſona fide digna de impedimento dirimente monetur. *Collet compend. Dict. Pont. ver. debitum con. caſ.* 48. Quum itaque in caſu Victoria a perſona fide digna monita dici poſſit de impedimento dirimente, dubitet, & a debiti petitione deſiſtat; *ſed ne in alterutro*, ſic concludit ibidem Pontifex, *vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam*, debitum reddat conjugi non dubitanti, & curet, ut ex diligenti inquiſitione veritas eluceſcat.

Et ſi Victoria diſſolutionem matrimonii petat a Judice, cujus ſolum auctoritate, & non privata poteſt a conjugio reſilire, duo hæc advertat Judex ex citato Berardi *Comment. tom. 3. diſput. 7. cap. 1.*, I. Matrimonium, de cujus vi diſputatur, ex unius mariti aſſertione aliquando poſſe conſiſtere, nunquam tamen definitum unius aſſertione poſſe diſſolvi: advertat II. quod injungenda non eſt diſſociatio quoad cohabitationem, etiamſi conjux eam peteret, niſi publicum, & notorium ſit impedimentum, vel idoneis teſtibus comprobatum, ut expreſſe de jure canonico *Cap. 3. de eo qui cognov. conſang.* diſponitur.

Matrimonium igitur eſt præſumptive validum. Suſpenſio contra Maurum lata facile injuſtitiæ, facilius nimiæ celeritatis inſimulatur. Victoria nequit tuta conſcientia a matrimonio reſilire.

Men-

Mense Majo.

Rubertus plures excuſationes adducit Confeſſario ad declinandam denunciationem in edicto Inquiſitionis præſcriptam: videlicet, quod factum intellexerit a perſona incognita; quod agatur de conſanguineo, & quidem emendato; quod juraverit non revelare; & tandem quod timeat ex denunciatione gravia damna.

Quæritur, An hujuſmodi excuſationes a Confeſſario admitti debeant.

DECISIO.

Præmittenda in primis eſt doctrina Doctoris Angelici 2. 2. *qu* 33. *a*. 7. videlicet, quod quanquam in omnibus aliis delictis privatis, quando prudenter ſperare poſſumus proximi noſtri emendationem, præmittenda ſit fraterna correctio; tamen quando ſunt directe contra bonum publicum, ut ſunt hæreſes, eaque omnia, quæ fidem chriſtianam perturbare poſſunt, atque convellere, denuncianda ſunt, neglecta correctione fraterna: atque inſiſtens S. Congr. S. Officii huic doctrinæ non ſemel decrevit, omnino teneri quemque *ad denunciandum, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia admonitio præmiſſa fuerit*.

Memi-

Meminiſſe quoque oportet alterius Decreti Sanctæ & Univerſalis Inquiſitionis, quo præcipitur ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatæ, ut intra duodecim dies teneantur omnes Chriſti fideles, cujuſcunque dignitatis, & conditionis ſint, judicialiter denunciare Inquiſitoribus, aut Locorum Ordinariis omnes & ſingulos hæreticos, vel quotquot noverint eſſe de hæreſi quomodolibet ſuſpectos.

His præmiſſis, me refero ad ſingulas partes propoſiti caſus. Atque quoad primam dico, Rubertum prædicto teneri præcepto, ſi factum, quod intellexit a perſona incognita, verſetur circa hæreſim, aut gravem hæreſeos ſuſpicionem. Neque obeſt, quod Rubertus non poſſit indicare perſonam, quum poſſit indicare delictum; quo fit, ut detur perquiſitioni locus. Solent enim Locorum Ordinarii, & Inquiſitores, quando de his caſibus agitur, non dormitare, ſed prudenter, ac pro virili a lupis commiſſum ſibi divinitus gregem cuſtodire: ac non ſemel factum ſcimus, ex hujuſmodi delationibus præoccupatam fuiſſe perditorum hominum temeritatem, atque hæreſim, quæ niſi præſcecetur, facile ſerpit, ut cancer. Si vero non de re tanta caſus ſit, arbitror non teneri; maxime quum delatores de auditu, & præcipue de perſona incognita in ſacro Tribu-

nali

nali non recipiantur: Sic Pegna *in Commentariis ad directorium Inquiſitorum*, Carena, Farinacius, & alii agentes de Tribunali S. Officii. Conſtat ergo, quid agere debeat Confeſſarius cum Pœnitente quoad primam partem Caſus.

Venio nunc ad ſecundam, pro qua hanc habeo promptam expeditamque reſponſionem, videlicet teneri Rubertum denunciare conſanguineum ſuum: ita communiſſime docent Auctores, qui materiam hanc diligenter verſarunt, atque idipſum inferunt ex Deuteronomii *cap. 13. a verſ. 8. uſque ad 11. Non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum; ſed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum, & poſtea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abſtrahere a Domino Deo tuo... ut omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quidpiam hujus rei ſimile.* Loquitur autem Scriptura de fratre, filio, & filia, & de uxore. Sunt profecto, qui velint excuſari Filium, ſi Patrem hæreticum non denunciet, itemque uxorem maritum ſuum, inter quos commemoro Abulenſem, Symmacham, Genuenſem *in praxi Archiep. Neapolit.*, quem ſequitur Gutierez. Sed tamen communior, & probabilior ſententia Doctorum eſt, teneri: ſic Pegna ſupra laudatus, Ludovicus a Paramo *de origine Sancti Officii*, Farinacius, Lelius Zecchius, Sanctarellus, Didacus

Can-

Cantera ob allatum Scripturæ textum, ob inſinuatam ab initio uſque rationem, ac demum ob ipſam S. Officii praxim.

Non ignoro aliquos eſſe, qui inter hæreſim, & ſuſpicionem hæreſis diſtinguentes concedunt qûidem, deferendum hæreticum Patrem, aut Maritum, non tamen ſuſpectum duntaxat de hæreſi. At falſo: namque eadem ratio eſt de hæreticis, & ſuſpectis de hæreſi, ut conſtat ex ſuperiori Decreto, ut bene prudenterque advertunt Zecchius *de caſibus reſervatis*, Lazarius *de blaſphemia*, Biasfeldus *de confeſſione Maleficorum*, Homobonus *de Bonis*, Marius Alterius *de Cenſuris*, Pegna, quibus omnibus ſubſcribit Carena.

At ſi conſanguineus fuerit emendatus, quid aget Rubertus? Dico, quod quanquam Sotus *de Juſtitia & jure lib.* 3. *qu.* 5. *art.* 5. videatur cum aliis paucis in eam inclinare opinionem, quæ abſolvit a denunciatione, ſi reus fuerit emendatus; communior tamen, & probabilior opinio eſt Suareſii *de fide diſp.* 20. *ſect.* 4., Farinacii, Treitas de Rodes, A Chunas, aliorumque, quibus ſeſe adjungit Carena, Rubertum obligari ad denunciandum; tum quia poſſunt fingere hujuſmodi rei, ſe eſſe emendatos; tum quia forte alios infecerunt hæretica pravitate, vel ea fuerunt ab aliis infecti: quare plurimum intereſt, Fidei Quæſitores perſpectas habere hujuſmodi cauſſas ad tute-

lam

lam atque defenſionem Sanctiſſimæ Fidei noſtræ.

Eadem facilitate ſolvitur, quod poſitum eſt in 3. parte Caſus propoſiti, dicendo videlicet, hæreticum, ſuſpectumque de hæreſi eſſe denunciandum, etiamſi hæreſim, aut ſuſpicionem hæreſis habeat Rubertus ſub ſecreto, etiam jurejurando confirmato. Ita Suarez *de Fide eadem laudata diſput. ſect. 5. n 17.*, et Sanctarellus, qui in hanc rem citat Navarrum, Cajetanum, Sotum, & alios. Ratio vero Suareſii, quæ hoc conficit, hæc eſt; quia omne ſecretum, excepto ſecreto confeſſionis, eſt mere humanum, & ex privato pacto tacito, vel expreſſo inter loquentem, & audientem naſcitur; quamobrem non poteſt obſtare legi Superioris præcipientis denunciationem pro re, ut diximus, omnium graviſſima. Verſant, atque confirmant rationem hanc Pegna *parte 2 Commentarii 18.*, Farinacius, aliique Theologi & Canoniſtæ.

Breviſſime nunc dicendum ſupereſt de quarta & poſtrema parte caſus expoſiti, nempe vanum eſſe prætextum, quem afferunt plerique, inquientes, ſibi imminere gravia mala, ſi quempiam denuncient: tanta enim fides eſt, prudentia, & induſtria Tribunalis, ut indemnitati denunciantium conſulat providentiſſime. Idipſum itaque prudens Confeſſarius inſinuare debet Ruberto, ipſique etiam atque etiam perſuadere, ſibi nihil verendum

eſſe ex hujuſmodi denunciatione. Quod ſi forte prudenter timere poſſet Confeſſarius, Rubertum ſubiturum vitæ periculum, non dubito, quin ſuggerere poſſit deferendam in tempus opportunius denunciationem. Sed raro admodum caſus iſte contingit, in quo prudentiam, dexteritatemque in Confeſſario exigimus.

Mense Junio.

Romualdus Parochus, puerum baptizaturus, videns non comparere adhuc Patrinum pro tali officio a Parentibus deſtinatum, impatiens moræ alterum ei ſubrogavit.

Quæritur I. An graviter peccaverit Romualdus non expectando, agendoque contra diſpoſitionem Concilii Trid. *ſeſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 2.*

II. An Patrinus a Romualdo deſignatus fuerit vere talis, & ſpiritualem cognationem contraxerit.

III. An quæ de numero Patrinorum, & cognatione contrahenda in Baptiſmo diſpoſuit Tridentinum *loc. cit.*, cenſeantur etiam diſpoſita circa Confirmationem.

DECISIO.

Tridentina Synodus *loc. cit.* ſtatuit, *ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier . . . vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo*

 ſuſci-

ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat.... Quod ſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant... Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur.

Itaque reſpondeo ad I., Romualdum graviter peccaſſe. Illa enim deſignatio patrini contraria voluntati parentum gravi eos affecit injuria. Romualdus quippe nedum jus illorum violavit deſignandi patrinos; ſed illis inſuper vim attulit, cogens invitos ad contrahendam perpetuam ſpiritualem cognationem cum ignoto, & forte non grato, eoque magis, ſi eſſet eorum ſtatui valde impar, unde in illos dedecus redundaret. Hujuſmodi autem violentia non eſt levis momenti. Equidem haud agi de re parvi ponderis ſatis indicat Tridentini Decretum, præcipiens Parocho, ut diligenter ſciſcitetur a parentibus,

quem

quem velint deſignare ad tenendum puerum, quod adverbium *diligenter* declarat, præceptum eſſe non leve; necnon quoque præcipiens, Parochum ſecus facientem arbitrio Ordinarii puniendum: nam pœna arbitraria videtur arguere non leve delictum. Nec mora patrini a parentibus deſtinati valet excuſare Romualdum. Si enim ex dilatione nullum imminebat periculum, expectare debebat, quouſque vel patrinus adeſſet jam deſignatus, vel alius ſeu ab ipſis parentibus, ſeu ab ipſo Romualdo, ſed poſt obtentam a parentibus facultatem, ſubrogatus. Quum tamen noſtræ Diæceſanæ Synodi ſub Emin. Duratio, necnon ſub Archiepiſcopo Gentile *Cap. de Baptiſmo* præcipiant, ut *infantes recenter nati quamprimum, & ad ſummum infra octo dies deferantur ad ſacrum Baptiſmi fontem, ne imbaptizati decedant, ſub pœna excommunicationis negligentibus*; tunc non videretur Romualdus lethalis culpæ damnandus, ſi de præſumpta, ſeu non repugnante voluntate parentum haud poſſet ambigere; vel ſi, jam diebus octo tranſactis, jure timeret, ne ob moram patrini res notabiliter adhuc protraheretur.

Ad II. Patrinus a Romualdo deſignatus fuit vere talis, & ſpiritualem contraxit cognationem. Noſter enim caſus eſt prætermiſſus a Tridentino, quod loquitur ſolum, quando non deſignatus, ſeu non deſignati a

parentibus tangit, ſeu tangunt cum deſignato, vel deſignatis ab eiſdem. Nam aliud eſt tangere baptizatum ultra deſignatos, & aliud præter deſignatos; quia *ultra* dicit exceſſum in numero, ſed *præter* dicit diverſitatem in perſona. Non eſt autem a jure antiquo recedendum, niſi in novo ſit expreſſum, atque correctum, *L. præcipimus C. de appellat.*, & *Cap. 2. de translat.* Verum jus antiquum cenſet, omnes tangentes eſſe patrinos, & ſpiritualem cognationem contrahere, *Cap. fin. de cognat. ſpirit. in* 6. Plures aliæ rationes reſponſionem hanc confirmantes videri poſſunt apud Ludovicum Beja *reſponſ. caſuum conſcient. part. 2. caſu* 1.

Ad III. Diſpoſitionem hujus Tridentini Decreti militare in cognatione orta ex Confirmatione, ſicut militat in cognatione orta ex Baptiſmo, excepto tamen quod in Confirmatione adhibendus ſit unus tantum patrinus, ex dicto *cap. fin. de cognat. ſpirit.*, reſolvit poſt alios Barboſa in Collectaneis Doctorum ad citatum *Cap. 2.* Concilii Tridentini *num. 38.*

Mense Julio.

Bonifacius ſimplex Confeſſarius abſolvit Pœnitentem confeſſum peccatum Epiſcopo reſervatum, de quo diſputant Theologi, utrum ſit mortale, an veniale. Item Gregorius

rius Confeſſarius Regularis abſolvit ſuum familiarem a quibuſdam peccatis ab Epiſcopo in ſua Diæceſi ſibi reſervatis, non petita facultate ab Epiſcopo.

Quæritur, utrum tam in primo, quam in ſecundo caſu valida ſit abſolutio.

DECISIO.

Cum juxta Tridentini Concilii doctrinam *ſeſſ.* 14. *de Pœnit. cap.* 7. *magnopere ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertineat, ut atrociora quædam crimina a Summis dumtaxat Pontificibus abſolvantur ... & hoc idem Epiſcopis omnibus liceat in ædificationem tamen, non in deſtructionem;* haud faciles ſolent eſſe iidem Epiſcopi ad reſervationes multiplicandas, & graviora ſolum peccata ſuo judicio reſervant. Siqua enim ab ipſis fieret venialium reſervatio, licet inutilis evaderet, quia hæc peccata ſunt materia libera Sacramenti Pœnitentiæ, multiſque aliis remediis expiari poſſunt; valida tamen foret, eorumque abſolutio per idem Sacramentum obtineri non poſſet a ſimplici Confeſſario, quia remitti non valent, niſi ex vi juriſdictionis dependentis ab Eccleſia juxta communem Theologorum ſententiam, præcipue poſt Decretum Innocentii XI. circa frequentem, & quotidianam communionem editum 12. *Febr.* 1679., in quo circa finem

nem reprobavit contrariam opinionem, aſſerentium videlicet, poſſe quemlibet Sacerdotem ad confeſſiones non approbatum a venialibus valide abſolvere.

Itaque Bonifacius invalide abſolvit Pœnitentem confeſſum peccatum Epiſcopo reſervatum, de quo diſputant Theologi, utrum ſit mortale, an veniale. Si enim venialium reſervatio eorundem abſolutionem invalidat; a fortiori nulla cenſenda erit abſolutio illius reſervati, de quo lis eſt, utrum ad mortale pertingat. Eo vel magis ſi animadvertatur, Epiſcopum per ipſum reſervationis actum, qui circa graviora tantum peccata ſolet exerceri, manifeſte approbaſſe ſententiam peccatum prædictum inter mortalia recenſentem. Neque vero dubitandum eſt, quin ad hoc validis adductus fuerit rationibus. Tales quippe pro certo habendum occurrere in prædicto caſu circumſtantias vel maximæ populi proclivitatis in idem peccatum, vel notabilis ſcandali, vel majoris in dies excreſcentis mali, propter quas neceſſarium, ac expediens duxerit Epiſcopus, peccatum ipſum reſervationi ſubjicere juxta monitum Sacræ Congr. Epiſc. & Regular. in Encycl., quam refert Bened. XIV. *de Syn. Diæc. lib. 5. cap. 5. num. 4.*, ad Locorum Ordinarios data die 26. Novemb. an. 1602., ubi ſermone inſtituto de nonnullis caſibus, quos reſervare non eſt in more poſitum, hæc habet:

bet : *Illos promiſcue non reſervent, niſi forte propter frequens ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſſam aliqui hujuſmodi caſus reſervandi viderentur.*

Diſcuſſo priori dubio, ad II. reſp., duplex diſtinguendum eſſe familiarium genus, alterum ſcilicet eorum, qui proprie tales nuncupantur, utpote qui vere ſunt de Monaſteriorum familia, in ipſis continue reſident, ac inſerviunt ſub Prælatorum obedientia, atque aluntur e menſa communi : alterum vero eorum, qui minus proprie familiares dicuntur, quia carent aliqua ex præfatis conditionibus, qui nempe, licet Monaſterio inſervientes, & ab ipſo aliti, degunt in domibus ipſi contiguis, vel ex communi menſa non ſuſtentantur, ſive ex devotione, aliave de cauſſa in monaſterio degentes ipſi alimenta perſolvunt. Itaque ſi de primi generis familiaribus ſermo ſit, hi procul dubio gaudent privilegiis Regularium, & a Locorum Ordinariis penitus ſunt exempti : *Cap. ultim. de verb. ſignif.*, *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 11., *& ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 11., *& Rot. Rom. par.* 1. *recentior. deciſ.* 584. *n.* 3. Unde Sacra Concil. Congreg. *die* 14. *Auguſti* 1568. ſic reſpondit : *Prælati Regulares, ſeu alii Religioſi Confeſſores abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi poſſunt audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis*

deſerviunt: & idipſum confirmavit Clemens X. in Conſtit., quæ incipit, *Superna Magni Patris-familias*, edita anno 1670.; necnon prædicta S. C. C. alio decreto 25. *Januar.* 1738. edixit, poſſe Regulares laicis intra ſepta Monaſterii degentibus, eiſque actu inſervientibus miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ etiam tempore Paſchatis, ac Extremæ Unctionis, & ſepulturam dare in propria Eccleſia, uti videre eſt penes *P. Cavalieri in Ritual. expenſ. cap. 2. de confeſſ. & commun. Paſch. ad decret. 20. num. 3.* Si autem loquamur de familiaribus, qui minus proprie tales dicuntur, certum eſt, ipſos juriſdictioni Ordinariorum ſubeſſe, non vero Prælatorum Regularium, qui nequeunt idcirco ipſorum confeſſiones excipere abſque Ordinariorum approbatione, ut ex præfatis Sac. Cong. Decretis manifeſtum fit.

Hiſce præjactis evidenter conſtat, a Gregorio valide abſolvi ſuum familiarem a peccatis Epiſcopo reſervatis, ſi familiaribus primæ claſſis accenſeatur, non vero, ſi ſecundæ. Siquidem, ut mox firmatum eſt, verus Regularium familiaris ab Epiſcoporum juriſdictione prorſus eximitur, adeo ut valide abſolvatur a Confeſſario Regulari, qui ab ejuſdem Prælato, & non a Loci Ordinario fuerit ad confeſſiones approbatus. Caſuum reſervatio actus eſt juriſdictionalis ad ſubditos a gravioribus culpis coercendos, adeoque præfatum fami-

familiarem non afficit ; juriſdictio quippe in ſubditos , non in alienos eſt exercenda : *Cap. Cum a nobis*, *de ſent. excom.*, & *Cap.* 1. §. *In eos*, *de privileg. in 6.* Hoc item ex eo confirmatur, quod cum Theologi , & Canoniſtæ cauſſas enumerent, ob quas Regulares Epiſcopo ſubjiciuntur , de Regularibus, qui eidem ſubdantur quoad aliquam caſuum reſervationem, nunquam meminerunt , uti aperte colligitur ex Fagnan. *in Cap. Grave de offic. Ordinar. a num.* 37. *ad fin.*, Bordon. *reſolut.* 7. *num.* 35., & Reiffenſtuel *in lib.* 1. *Decretal. tit.* 31. §. 6. *num.* 3.

Habentur equidem nonnulla decreta, alterum videlicet Sac. Congr. Concil. 16. *Sept.* 1572. approbante Gregorio XIII., alia itidem Sacr. Congr. Epiſc. & Regul. 9. *Januar.* 1601. approbante Clemente VIII , & 7. *Januar.* 1617. ſub Paulo V. , ac deinceps 18. *Novemb.* 1628. ſub Urb. VIII., quibus videtur facta generatim prohibitio Regularibus abſolvendi a caſibus Ordinariis Locorum reſervatis, quamobrem Alexander VII. *die* 24. *Septemb.* 1665. hanc propoſitionem proſcripſit : *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis , non obtenta ad id Epiſcoporum facultate* , & Clemens X. idem confirmavit in præfata Conſtit. *Superna*. Verum haſce prohibitiones indictas fuiſſe Regularibus quoad ſæculares, non quoad proprios ſubditos abſolvendos, palam evin-

evincitur ex declaratione præfatæ Sac. Congr. Epiſc. & Regul., quam refert Peyrin. *in Conſtit. 6. Julii II. n. 21.*; facto ſiquidem verbo cum Clemente VIII., expreſſe definivit, Bullas, & Decreta, derogatoria privilegiorum Regularium quantum ad facultatem abſolvendi a caſibus Pontifici reſervatis, intelligenda ſolummodo eſſe in ordine ad ſæculares, non autem in ordine ad ſuos ſubditos, quos proinde poterunt Regulares Confeſſarii potiori jure a caſibus Ordinario reſervatis abſolvere. Huc etiam accedit, quod ſupradicta Conc. Congr. propoſito dubio, *an Confeſſarii Regulares poſſint ſæculares extra mortis periculum abſolvere a caſibus Ordinario reſervatis, die* 16. *Nov.* 1720. reſpondit *negative*.

Unus tantum videtur excipi caſus, quo Prælati, & Confeſſarii Regulares nequeunt ſubditos abſolvere, ſi ab Ordinario reſervetur, aperitio videlicet oſtii clauſuræ Monialium, acceſſus, & collocutio cum eiſdem. Nam, uti referunt Matthæuccius in opere inſcripto *Officiales Curiæ Eccl. cap. 11. num. 8.*, Nicolius, & Panimolla ab eodem citati, Sacra Congr. Epiſc. & Regular. propoſito dubio in una *Viterbien.*, *An Epiſcopus ad clauſuram cuſtodiendam, etiam in Monaſteriis Regularibus ſubjectis, poſſit excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ferre circa aperitionem oſtii clauſuræ extra caſus indigentiæ, & colloquia cum Monialibus;*

dicta-

dictaque excommunicatio liget nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, facta de illis mentione, adeo ut Superior Regularis ab hujuſmodi excommunicatione abſolvere nequeat, Sacra Congr. *die 26. Junii 1627.* reſpondit, *Epiſcopum poſſe*.

Quod etiam confirmatur ex deciſionibus caſuum moralium Cleri Lucenſis nuper typis editis. Cum enim in iis reſolutum fuerit menſe Junio anni 1752., quod Regularis Curatus per ſimplicem Regularem Confeſſarium valide abſolvatur a caſu Epiſcopo reſervato, eo quod non ſubdatur Epiſcopali reſervationi; deinde menſe Januario 1761. ex prædicta Sacræ Congregationis Epiſc. & Regular. declaratione deciſum fuit, acceſſum, & collocutionem cum Monialibus, aperitionem oſtii, aliave crimina violationem clauſuræ ſpectantia Epiſcopo reſervata etiam Regulares afficere, adeo ut per ſuum Confeſſarium Regularem ab iis abſolvi nequeant. Excepto itaque hujuſmodi caſu, quem fortaſſe Epiſcopus reſervaverit, valide Gregorius abſolvit ſuum familiarem ab aliis quibuslibet caſibus eidem Epiſcopo reſervatis.

MEN-

MENSE AUGUSTO.

ROmulus impetrat pro Marcellino fratre ſuo præſentationem ad beneficium, erogatis Patrono centum aureis, Marcellino tamen hujus tractatus prorſus ignaro.

Quæritur I. Quinam incurrerint ſimoniam, & pœnas a jure ſtatutas in ſimoniacos.

II. An Marcellinus teneatur dimittere beneficium, ſine ſua culpa ſimoniace ſibi collatum.

DECISIO.

AD I. dico, quod tum Patronus in præſentatione Marcellini ad beneficium facta ex intuitu pretii, tum Romulus erogando hujuſmodi centum aureos, ſimoniæ crimen perpetrarunt. Siquidem Urbanus II. apud Gratianum *cauſ. 1. q 3. can. 8.* abſolute decernit: *Qui res Eccleſiaſticas non ad hoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obſequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt.* Et Alexander III. *lib. 5. Decretal. Cap. 20. de ſimonia*, Sacerdotem quemdam ſimoniacum dixit, propterea quod ſex ſolidos Archidiacono ſolverat, nolenti ipſum ad ordinem præſentare; ut proinde, quemadmodum obſervat Gloſſographus v. *Sex ſolidos*, Simonia incurratur pro quolibet munere etiam tenu-

tenuiſſimo; *quia quantitas muneris diverſitatem juris non inducit*. Ubicunque ſcilicet, ut in noſtro caſu, temporale quidpiam erogatur, vel ſumitur in beneficii Eccleſiaſtici proviſione; quum ea plane intentione effundatur, ut ſpiritualia comparentur, ſimoniacam redolet pravitatem.

Pœnas ſimiliter a jure ſtatutas adverſus ſimoniacos incurrerunt tum Romulus impetrans, tum Patronus præſentans. Olim quidem, nondum erectis beneficiis, boniſque Eccleſiaſticis in partes nondum diviſis, ſimonia circa ſolas ordinationes verſabatur, & pœnæ in ſimoniacos decretæ ſolas ordinationes aut ſimoniace collatas, aut receptas ſpectabant, ut animadvertit Wan-Eſpen *part.* 2. *tit.* 30. *de ſimonia circa beneficia cap.* 6. Unde & Canones Concilii Chalcedonenſis, Aurelianenſis II., Secundi Cabillonenſis, & Synodi Quini-ſextæ, & antiquiorum Pontificum Decreta in ſimoniace ordinatos lata ſunt. Verum etſi de his duntaxat nominatim loquantur, eo quod juxta diſciplinam illorum temporum per ſolam ordinationem ad Eccleſiaſticos gradus aſcenderetur; certum tamen eſt, eos etiam comprehendiſſe, qui, mutata Eccleſiæ diſciplina, ad ſacra miniſteria, & dignitates Eccleſiaſticas non per ordinationem quidem, ſed per beneficii inſtitutionem promoverentur. Nam Alexander II., qui ſæculo Eccleſiæ XI. ſedit, in epi-

epiſtola ad Clerum Lucenſem, quæ extat apud Gratianum *cauſ.* 1. *q.* 3. *can.* 9., pœnam a Chalcedonenſi Concilio adverſus ſimoniace ordinatos inflictam, ad alios etiam extendit, qui beneficia Eccleſiæ vendere, aut emere præſumerent. Quod ipſum & alii edixere Pontifices, ac præcipue Paullus II. in Extravag. *Cum deteſtabile.*, Martinus V. *ſeſſ.* 43. Concilii Conſtantienſis, Gregorius XIII., Alexander VII. aliique eorundem Succeſſores.

In primis igitur excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ pœnam uterque incurrit, Romulus, & Patronus, ut præ cæteris Pontificibus declaravit S. Pius V. in ſua Conſtitutione *Cum primum*.

Patronus inſuper Simoniacum hujuſmodi exceſſum perpetrando jure præſentandi privatus remanet, ut ſtatuitur in Cap. *Quia Clerici de jurepatronat.*, & juxta Cancellariæ, ac Datariæ Romanæ ſtylum pro ea vice patronatui derogatur in totum, ut ſervatum eſſe an. 1700., & 1705. in Litteris Apoſtolicis Clementis XI. teſtatur Rigantius *ad reg.* 36. *Cancellar.*, qui addit, quod hæc juripatronatus ob Simoniam a Patrono admiſſam derogatio præſefert quamdam imaginem veteris illius diſciplinæ, quæ ſervabatur, cum Eccleſiaſticæ vigerent electiones. Tunc etenim, ſi Clerus, aut Populus quempiam ſimoniace elegiſſent, jus eligendi, ſeu nominandi pro ea vice vel ad Principem,

vel

vel ad Metropolitam reſpective devolvebatur. Quod etiam obſervarunt Natalis Alexander *ſæc. 9. hiſt. Eccl.*, & Ludovicus Thomaſſinus *de vit. & mor. Eccleſ. diſcipl. tom. 2. lib. 2. cap. 21. n. 9.*

Ad II. reſpondeo, quod cum nec ipſe Marcellinus in acquiſitum beneficium per oſtium, bene vero aliunde intraverit, attento Sacrorum Canonum Simoniam ſeveriſſime punientium rigore, beneficium idem retinere non poteſt; propterea quod quælibet beneficialis proviſio ipſo jure nulla eſt, nullumque jus proviſo tribuit, quoties Simonia intervenerit, utcunque proviſus Simoniam committi penitus ignoraverit. Certe Urbanus II. Alberto Epiſcopo Metenſi interroganti, quid agendum foret de Presbytero, qui Ordinis dignitatem, propter pecuniam a parentibus non Epiſcopo, ſed ejuſdem familiari datam, obtinuerat, reſpondit: quod *licet ſancti Canones* (ſunt verba laudati Pontificis) *deponendum eſſe teſtarentur, nihilominus miſericordiæ viſcera adhibendo, ipſum in eodem eſſe ordine ſinebat; ea tantum ſervata lege, ut ſi Eccleſia, cui erat addictus, Sacerdotum penuria non laboraret, ſuſpenſus ab officio remaneret; ſi vero illius ſervitutem utilitas exigeret Eccleſiæ, in Sacerdotali Ordine miniſtraret. Can. 3. cauſ. 1. quæſt. 5.*

Sed clariſſima extat præſentis caſus deciſio *lib. 5. Decretal. cap. 27. de Simonia*. Cum ſci-

ſcilicet *a quodam capitulo*, ut ibidem dicitur, *quatuor eſſent conſtituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus, de cujus electione ſpes habebatur, uni, vel omnibus eligentium promiſerunt ſe pecuniam ſoluturos, eo tamen ignorante, qui hujuſmodi promiſſione interveniente poſtmodum eſt electus*. Super hac electione conſultus Cœleſtinus III. reſpondit in hæc verba: *quamvis ipſe promiſſionis conſcius non ſit, ejus tamen electio, tamquam ſimoniaca pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda*. Quia ſcilicet ignorantia proviſi non tollit in poſtulantibus, & præſentante voluntatem commutandæ rei ſpiritualis pro temporali pretio. Revera, quæ major eſſe poteſt, quam in puero, de electionibus beneficiariis ignorantia? Nihilominus Innocentius III. Abbati Jemblacenſi reſcribens decernit, quod *ſecundum Sacrorum Canonum inſtituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere tenentur*. Unde Marcellinus, licet reus non ſit alienæ ſimoniæ, ſtatim ac tamen cognovit, ſe ad beneficium ſimoniace fuiſſe præſentatum, tenetur, non ſecus ac pueri, de quibus loquitur Innocentius III., beneficium ipſum dimittere.

Cumque inſuper Simonia proviſionem beneficii ſimoniace obtentam irritet, & ipſum titulum diſcoloret, ita ut proviſo nihil juris in illo acquiratur, ſequitur per neceſſarium

rium conſequens, quod nec fructus beneficii acquirere, nec ſuos facere potuerit Marcellinus. Ita expreſſe cautum eſt a Martino V. in Concilio Conſtantienſi, ubi poſtquam declaravit, quod omnes beneficiorum proviſiones ſimoniacæ nullæ ſunt ipſo jure, immediate ſubdit: *nec promoti, confirmati, aut proviſi faciant fructus ſuos, ſed ad illorum reſtitutionem, tamquam inique ablata percipientes, teneantur*. Quod ipſum decrevit Paullus II. *in cit. Extravag. Cum deteſtabili* declarans, quod beneficiatus ſimoniacus ad eam reſtitutionem *ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus*. Cum vero hæc obligatio ex ipſa tituli nullitate dimanet, ut monet Wan-Eſpen cit. loco, inferunt Canoniſtæ, nullam eſſe differentiam ſaltem quoad forum conſcientiæ, ſive ſimonia occulta ſit, ſive notoria, atque æque ad reſtitutionem ſimoniacos teneri.

Verum eos duntaxat fructus reſtituere debet Marcellinus, qui adhuc penes ipſum extant, non vero illos, quos bona fide conſumpſit, ut docet expreſſis verbis S. Thomas *2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.* inquiens: *Si vero eo neſciente per alios alicujus promotio ſimoniace procuratur, caret quidem Ordinis executione, & tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſecutus, cum fructibus extantibus, non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bona fide poſſedit.*

Hæc omnia de beneficiis indiſtincte ſum-

ptis intelligas. Quia tamen in expoſito caſu dubium ſimpliciter verſatur in beneficio de jure patronatus, & ſimoniam in præſentatione commiſſam non ſolus Marcellinus, ſed etiam Epiſcopus collator ignorat; ideo dicendum, Marcellinum fuiſſe ſimoniace præſentatum, non vero beneficium fuiſſe ſimoniace collatum. Simoniaca fuit præſentatio, quia Patronus præſentationem ad beneficium cum centum aureorum præſentatione commutavit; & quia ſimoniam in beneficiis jura damnant, ipſa idcirco præſentatio nulla eſt, licet Marcellinus ſimoniæ ſit prorſus ignarus; quin tamen oporteat novam pænam adjicere, ut eadem ſimonia a Marcellino, & Epiſcopo ignorata, quæ præſentationem irritavit, poſtea collationem pariter infringat. Beneficium non fuit ſimoniace collatum, quia Patronus in pœnam admiſſæ ſimoniæ a jure præſentandi cadit, (ut probatum fuit ſupra in reſponſione ad 1. dubium), & ita beneficium cenſetur liberæ collationis, unde potuit Epiſcopus illud libere conferre. Hæc aſſertio Clariſſimi Berardi auctoritate firmatur: ipſe in Comment. in Jus Eccl. *tom. 4. part.* 1. *diſſert.* 3. *cap.* 2. ex ſuperius adducta Urbani II. reſponſione relata in *Can.* 3. *cauſ.* 1. *q.* 5. probat, irritam eſſe beneficii collationem ſimoniace factam, etiamſi Clericus beneficium ſuſcepturus ſimoniæ conſcius

non

non fuerit: limitat tamen *ea in ſpecie, quâ pactio inter duos extraneos inita fuiſſet, puta inter extraneum, & Patronum nominantem, ignorante, aut repugnante eo, qui beneficium a probo Epiſcopo, & ſimoniæ non conſcio ſuſcipit. Etenim hac in ſpecie quum Patronus cadat abs jure nominandi ſaltem pro ea vice, collatio beneficii cenſetur libere facta ab Epiſcopo gratia Clerici, ac ſi ſimoniaca patroni nominatio minime attendatur*. Quare quum beneficium non fuerit ſimoniace collatum, ſed collatio libere facta cenſeatur, beneficium Marcellinus retineat.

Mense Septembri.

PRoclus recipit beneficium Parochiale, graviter dubitans ob infirmam habitualiter valetudinem, an munera Parochialia obire poſſit, quæ propterea fere omnia per alium exercet.

Q. I. An peccet Proclus dictum beneficium recipiendo, & retinendo.

II. An teneatur ipſum abſolute dimittere, an vero poſſit petere coadjutorem.

DECISIO.

AD I. Parochos teneri per ſe præſtare munera paſtoralia, nec poſſe, niſi legitima excuſentur ratione, ea in alios rejicere, col-

ligitur ex Trident. *Seſſ. 23. cap. 1. de reform.* Quare Innocentius XI. approbans Decretum S. C. Concilii 8. Maii 1681. declaravit, ut refert Wan-Eſpen *Jur. Eccleſiaſ. p. 1. tit. 3. cap. 8. n. 6.*, Parochos Bruxellenſes per Archiepiſcopum Mechlinienſem cogendos, ut per ſe catechizent, tametſi annis 90. continuis per Patres Societatis id feciſſent. Regulares enim, uti animadvertit S. Bonaventura in *Tract. Quare Fratres minores prædicent*, Prælatorum ac Parochorum ſunt ſubſidiarii, qui ſupplent utique eorum defectus, ſed eos a functionibus non eximunt, quas per ſe tenentur obire. Nec ſuffragatur Parochis illa regula Juris 68. in 6. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*. Nam non reſpicit hæc regula ea negotia, quæ perſonæ induſtriam fidemque requirunt. *Quis vero ambigat*, ait Wan-Eſpen *loc. cit. cap. 5. n. 4.*, *quin Eccleſia eligens Paſtores, alioſque animarum Curatores, perſonæ qualitates, & induſtriam conſideret & ſpectet? Ut quid enim tanta circa mores, doctrinam, ceteraſque perſonales qualitates, & dotes inquiſitio, tamque exactum examen, niſi ut de his omnibus ſufficienter conſtet, & eorum ratio habeatur? Illud accedit*, ſubdit idem Wan-Eſpen, *quod non tantum in Paſtoribus eligatur, & attendatur induſtria & qualitas perſonæ, ſed quod inſuper munia paſtoralia, præſertim populi inſtructio, multis titulis cum majori* fru-

fructu per proprium Parochum, quam per extraneum, licet æque induſtrium & capacem, ordinarie fiat. Quapropter Synodus Noſtra Provincialis ſub Archiepiſcopo Pallavicino hæc ſancivit: Parochus *curam per ſe, quantum fieri poterit, aut per alium, ſi legitime fuerit impeditus, idoneum & ab Ordinario approbatum exerceat... Qui vero, curæ onere in Vicarium ſuum rejecto, otioſos ſe ſpectatores magis, quam Eccleſiæ ſuæ Rectores præbent, cogantur & ipſi arbitrio Ordinarii in ea ſe exercere, Miſſas celebrando, & alia, quæ ſuo muneri conveniunt, præſtando.*

Proclus igitur, qui Beneficium Parochiale recepit, graviter dubitans ob infirmam habitualiter valetudinem, an munera Parochialia obire poſſet, quæ propterea fere omnia per alium exercet, & peccavit recipiendo; & peccat retinendo. Peccavit recipiendo, quia manifeſto ſe expoſuit periculo munera non obeundi, propter quæ datur Beneficium. Peccat retinendo; nam quum non poſſit per ſe ſuis paſtoralibus officiis fungi, Beneficium, inquit Pontaſius, debet dimittere, & pœnitentiam agere, quod, officiis Beneficio annexis adimplendis omnino impar, Beneficium acceptaverit, ſuaſque Paſtoris partes non adimpleverit.

Ad II. Epiſcopis, Parochis, aliiſque Beneficiariis gravi diuturnaque affectis ægritudine dandos eſſe Coadjutores, non extor-

quendam Beneficiorum reſignationem, conſtat ex pluribus Romanorum Pontificum Decretalibus collectis in Tit. *de Clerico ægrotante, & debilitato*. Verum jura omnia, quæ ægrotis Beneficiariis Coadjutores concedunt, loquuntur de infirmitate, quæ Beneficiario poſt adeptum Beneficium ſupervenerit, non qua laboraret ipſe ante Beneficii ſuſceptionem. Quomodo ergo poterit Proclus tuta conſcientia petere Coadjutorem, ſi Beneficium Parochiale recepit tam infirma habitualiter affectus valetudine, ut graviter dubitaret, an munera Parochialia obire poſſet? Aut quomodo, ſi de Coadjutore agitur cum futura ſucceſſione, de Coadjutore ſcilicet, qui gratis inſerviat, quomodo Proclus, qui fere nihil per ſe ſatisfecit, ac ſatisfacit officiis Parochialibus, qui potius Paſtoris umbra, quam Paſtor, vocandus eſt, poterit ſine labore præſtito, aut præſtando omnes Eccleſiæ redditus pro ſua ſuſtentatione recipere? Quorſum de altari vivunt, qui altari non ſerviunt? Gregorius IX., ut narrat Raynaldus, anno 1237. præcepit Norvegiæ Archiepiſcopo, ut ad cedendum compelleret duos ejus Regni Epiſcopos, quorum alter cæcitate, alter paralyſi laborabat. Gregorius VII. in epiſtola ad Wilelmum Angliæ Regem data mandat, Archiepiſcopo Rotomagenſi ægritudinum ſuarum diuturnitate eam Eccleſiam pe-

ne

ne viduatam jamdiu detinenti perſuadendum, ſi oportuerit etiam auctoritate Apoſtolica, ut Paſtorem ordinari aſſentiretur, qui non ſolo nomine Paſtor eſſet. Quæ exempla quum ſint rariſſima, nam de infirmitate agebatur, quæ ſupervenerat, putat Thomaſſinius, ad eos tantum pertinuiſſe Paſtores, qui tam inſtrenue, & ſupine Eccleſiam rexerant, dum valerent, ut minus jam valentibus parci non deberet. Multo minus igitur parcendum Proclo; nec ad petendum Coadjutorem, ſed ad cedendum Beneficio compellendus, qui vel avaritia, vel ambitione ductus in habituali infirmitate, quam gravi fundamento metuebat incurabilem, adeoque impotentem ſe metuebat ad exequendum Paſtorale officium, & Beneficium recepit Paſtorale, & eo recepto fere omnia Paſtoralia munera per alium exercuit.

Mense Octobri.

Lucianus, cogitans de matrimonio contrahendo cum Florinda, audit a Leontio Florindam ſibi conjunctam eſſe in quarto gradu conſanguinitatis. Re diligenter diſcuſſa, nihil certi hac de re Lucianus comperit, dubiumque deponere non poteſt, quod ipſi ſolum Leontii teſtimonium ingeſſit. Item Sidonius, de matrimonio cum Eleonora contrahen-

hendo cogitans, recordatur, ſe olim copulam habuiſſe cum conſanguinea in primo, vel ſecundo gradu ipſius Eleonoræ; dubitat vero, utrum illa copula fuerit perfecta, & ſufficiens ad impedimentum affinitatis contrahendum.

Quæritur, utrum tam Lucianus, quam Sidonius teneantur petere diſpenſationem ad licite contrahendum.

DECISIO.

Certum eſt apud omnes, ſtante conſcientia practica dubia, illicitum eſſe operari. Dubitatores igitur Lucianus, & Sidonius de conſanguinitate, vel affinitate cum Florinda, & Eleonora matrimonium contrahere non poſſunt: ſed non idcirco ſtatim tenentur petere diſpenſationem. Diligenti inquiſitione opus eſt, ut, ſi fieri poteſt, veritas elucefcat; nec longo, aut difficili examine id aſſequentur: ſi advertat in primis Lucianus ex Juris Canonici ſanctionibus ſponſalia diſſolvenda eſſe, ſi unicus teſtis de conſanguinitate deponat, dummodo ſit vir fide dignus, qui certo ſcire ſe aſſerat, vel ſaltem a majoribus audiverit, & gradus clara computatione diſtinguat, & jurejurando confirmet. Ita expreſſe *Cap. Super eo lib. 2. de Teſtibus, & atteſtationibus, Cap. Licet ex quadam eodem lib., & titulo, & Cap. Tuæ nos lib. 4. de conſangui-*

guinitate, *& affinitate;* & hujus rationem reddunt omnes Doctores, nullo diſcrepante; quia hic agitur de vitando peccato, ne impediti contra Eccleſiæ prohibitionem contrahendo peccent. Baſilius Pontius, quidquid dicant, ut ipſe fatetur, multi graveſque Doctores, duos teſtes requirit, & textum *Super eo* accipit non de ſolius matris teſtimonio, ſed de illo cum aliis adminiculis, quæ poſt ejus teſtimonium diligens inquiſitio invenit; *Si enim nulla alia inventa eſſent, ſine dubio non impediretur matrimonium. Propoſita enim ſpecies illius capitis tantum exigebat, conſanguineos, & matrem accipiendos eſſe teſtes in cauſſa conſanguinitatis*. Hæc ille *de Matrim., lib. 5. cap. 34.* Sed verba Alexandri III. in dicto capite hanc admitere non poſſunt interpretationem: *Super illa vero quæſtione* (hæc ſunt verba textus), *quam feciſti : an mulier conjungenda non ſit viro pro eo, quod ſola mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur ; reſpondemus, quod ſi non eſt firmatum matrimonium inter eos, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent conjungi, quod præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant*. Quæſtio, quæ proponitur, non eſt, utrum in cauſſa conſanguinitatis accipiendi ſint teſtes, mater, & conſanguinei, ſed an mulier conjungenda non ſit viro pro eo, quod ſola mater eos eſſe conſanguineos confitetur. Reſpondet ſim-

ſimpliciter Pontifex, non eſſe conjungendos: nulla hic memorantur adminicula, quæ poſt ejus teſtimonium diligens inquiſitio invenerit, quæ adminicula non omittit Pontifex, quando facti ſpecies exigit, ut videre eſt in eodem *lib. & titulo cap.* 27. Præterea ubi interrogatus Pontifex, quum quis accuſatur aliquam cognoviſſe, ſtandum ne ſit teſtimonio juratorum, ſtandum eſſe reſpondet, *ſi teſtimonium conveniens de viſu reddatur, & præſumptionem violentam ſama conſentiens ſubminiſtret, ac alia legitima adminicula ſuffragentur*. Quum igitur nulla hic memorentur adminicula, & ad dictum ſolius matris deponentis de conſanguinitate firmandum non ſit conjugium, evidenter intelligitur, unius teſtimonio fide digni diſſolvenda eſſe ſponſalia. Quod apud omnes in Jure Canonico Doctores, qui poſt Baſilium Pontium ſcripſerunt, receptum eſt, & videri poſſunt Gonzalez ad dictum Caput *Super eo*, qui Baſilium Pontium audiendum non eſſe aperte aſſerit, Wan-Eſpen, Girbertus, Berardi, aliique. Et hæc quidem unici teſtimonii auctoritas ad diſſolvenda ſponſalia non ſolum vim habet, quum apud Judicem cauſſa conſiſtit, ſed etiam quum privatim quis admonetur, ut deducitur *ex Can. Si homo cauſſ.* 35. *quæſt.* 3. *& gloſſ. Cap. Præterea lib.* 2. *de ſponſalibus verbo Publice*. Ratio enim vitan-

vitandi peccati non tam urget in foro, ut ajunt, externo, quam vel maxime in foro interno: imo non infimæ notæ Theologi recte cenſent, ſi teſtis eſſet fide dignus, & de certa ſcientia teſtaretur, nec ſuſpicio aliqua mendacii ſubeſſet, in foro conſcientiæ neceſſarium non eſſe jusjurandum. His poſitis, tota quæſtio revolvitur ad Leontii fidem, & religionem. Si Leontio credere dignum eſt, cogitationem abjiciat Lucianus de contrahendo matrimonio cum Florinda, eo vel magis, quum nulla interſint ſponſalia, vel ex juſta & laudabili cauſſa petat diſpenſationem. Si vero vel ex ignoratione, vel ex malitia credendum non eſt Leontio, deponat omne dubium, & cum Florinda in Domino conjungatur.

Breviori examine opus eſt ad Sidonii dubium. Siquidem ipſius ſolutio tota pendet a conjunctione habita cum conſanguinea Eleonoræ. Si enim naturali ordine acta res eſt, quidquid evenerit, nulli dubium, ipſi petendam eſſe diſpenſationem. Ratio eſt, quia hoc in caſu impedimentum conſanguinitatis præſumi debet ex iis, quæ communiter ſolent accidere in ſimilibus copulis. Secus nullum obſtat impedimentum, ut ex *Can. Extraordinarie cauſſ. 35. quæſt. 3.* deducit Baſilius Pontius *de Matrimonio lib. 3. cap. 33. n. 2.*

Men-

MENSE NOVEMBRI.

ERaſmus recens natum filium, quem ſuſcepit ex Bibiana, quum videret morti proximum, digito in aqua luſtrali intincto in fronte ſignans, debita Sacramenti forma baptizavit.

Quæritur I. An Eraſmus valide baptizaverit.

II. An, ſuppoſita talis Baptiſmi validitate, cognationem ſpiritualem cum Bibiana contraxerit.

DECISIO.

REſp. ad I. graviter dubitandum eſſe de talis Baptiſmi valore. Nam quocunque modo conferatur Baptiſmus ex tribus, quibus conferri poteſt modis, tanta ſemper aquæ copia requiritur, quantumvis parva, ut ſupra corporis partem, quam tangit, aliquo modo decurrat, & fluat; quum ſine hoc fluxu ablutio per formam Baptiſmi ſignificata minime exprimatur. Quum autem per digitum aqua madefactum non ex certo habeatur aquæ quantitas, quæ ad dictum fluxum, veramque ablutionem deſideratur, gravis ſubeſt dubitandi ratio de Baptiſmi ſic collati valore; unde ſub conditione eſt iterandus, *Cap. 2. de quibus*.

Ad II.

Ad II. Reſp. cum diſtinctione: vel Bibiana eſt legitima Eraſmi uxor, vel non. Si primum, nullam cum ipſa contrahit cognationem ſpiritualem, ut expreſſe habetur in *Cap. Ad limina 30. quæſt. 1.*; & ratio eſt, quia hæc cognatio eſſet viro maxima pœna, nam jure petendi debitum eum privaret. At pœna conſequitur culpam, quam non incurrit Pater filium baptizans in caſu extremæ neceſſitatis, quum ſuccurrat, & conſulat æternæ prolis ſuæ ſaluti. Si ſecundum, inter Eraſmum, & Bibianam conſurgit ſpiritualis cognatio, ut colligitur ex eodem *Cap. Ad limina*, ubi tantum excipitur caſus Patris baptizantis filium periclitantem ex legitimo matrimonio ſuſceptum. Inter ſolutos autem non cenſetur pœna, ſed moralis inhabilitas ad matrimonium ab Eccleſia juſtis de cauſſis conſtituta, quæ inhabilitas etiam ſine culpa contrahi poteſt.

Mense Decembri.

Vacantibus duabus Eccleſiis Parochialibus, una per reſignationem, altera per obitum, duo earumdem Parochorum conſanguinei eas ab Epiſcopo per concurſum conſequuntur: unus autem ex ipſis nondum Sacerdos, ſpe obventuræ ſibi pinguis hæreditatis, nec intendit, nec curat ad Presbyteratum intra annum promoveri. Quæ-

Quæritur I. An licita, & valida fuerit utraque collatio.

II. An qui Presbyteratum intra annum ſuſcipiendi intentionem non habet, peccet, & Eccleſiæ fructus reſtituere teneatur.

DECISIO.

Reſp. ad I., S. Pium V. in Conſtitutione 58. Bullarii veteris *tom.* 2., quæ incipit, *Quanta*, prohibuiſſe Epiſcopis, aliiſque Collatoribus, in quorum manibus Beneficii cujuſvis reſignatio fieret, ne illud, vel ſuis, vel reſignantis conſanguineis, affinibus, vel familiaribus conferrent. Quæ *prohibitio Piana* inquit Ubaldus Giraldi *ſect.* 371. *Expoſit. Juris Pontif.*, *habet locum etiam*, *quando agitur de Eccleſiis Parochialibus*, *ſeu beneficiis curam animarum habentibus*, *quæ per concurſum*, *ex Tridentino cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *magis idoneis conferri debent*; *ut in Cremonenſi anno* 1573. *etiam ex ſententia S. Congr. Conc. declaravit Gregorius XIII. ex lib.* 1. *Decretor. ad talem annum pag.* 145. *& ſeq. Hinc. præfati non ſunt admittendi ad concurſum*, *& ſi fuerint admiſſi*, *quamvis reperti fuerint magis idonei*, *beneficium*, *ſeu Eccleſia nemini ex ipſis conferri poteſt*, *ut patet ex eodem reſponſo per extenſum relato a Benedicto XIV. de Syn. Diæc. lib.* 13. *cap.* 24. *n.* 4. Inſuper laudatam Pii V. Conſtitu-

tio-

tionem locum etiam obtinere in Parochialibus dimiſſis ob aſſecutionem alterius Parochialis cenſuit *Sacr. Congr. Epiſcop. & Regular. 19. Decembris 1620.*, ut refert Barboſa *in Collect. Bull. verbo Conſtitutiones*. Illicita eſt ergo collatio Eccleſiæ facta conſanguineo Parochi reſignantis. Eſt etiam invalida; Pontifex enim in ea Conſtitutione addidit clauſulam irritantem: *Cæterum*, ait §. 5., *præcipimus, atque interdicimus, ne ipſi Epiſcopi, aut alii Collatores de Beneficiis, & officiis reſignantis prædictis, aut ſuis, aut admittentium* (manifeſtus hic deprehenditur typographi error; neque enim legendum eſt *admittentium*, *ſed dimittentium*, ut optime notavit Fagnanus *in cap. Non ſine num. 45. de Arbitris*) *conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere; quod ſi ſecus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit a quocunque temere attentatum, id totum ex nunc* (en clauſulam irritantem) *vires, & effectum decernimus non habere.*

Hic vero animadvertendum I., quod dicta Bulla non comprehendit reſignationes Beneficiorum jurispatronatus, ut Sac. Cong. Eminentiſs. DD. Cardinalium declaravit ſubſequenti tenore: *Nos Hieronymus tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Card. Matthejus fidem facimus, & teſtamur, in libris S. C. Conc.,*

qui

qui apud nos aſſervantur, *adnotatum eſſe*, *quod felic. record. Greg. XIII. declaravit*, *beneficia juriſpatronatus non comprehendi in* §. *Cæterum contento in Conſtit. San. mem. Pii V. relaxante prohibitionem de non admittendis reſignationibus*, *quo* §. *prohibentur Epiſcopi beneficia in eorum manibus reſignata eorum*, *aut reſignantium affinibus*, *conſanguineis*, *vel familiaribus conferre*. Et ideo Patronus ad reſignatum beneficium ſui jurispatronatus poteſt præſentare quem vult, & Ordinarius tenetur inſtituere præſentatum, non obſtante diſpoſitione hujus Bullæ: ſic cenſuit eadem *Sacra Cong. in Viterbien.* 18. *Martii* 1628. Vide Garciam *de Benef. par.* 11. *cap.* 3. *num.* 268., Novarium *Comment.* 22. *de Benef. collatione prohibita reſignantium conſanguineis*, Quaranta *verbo Benef. reſignat.*, Sellium *in ſelect. Canon. c.* 90. *num.* 60., & Barboſam *loc. ſuperius cit.*

Animadvertendum II., quod eadem Piana Conſtitutio complectitur quidem, ac prohibet etiam beneficiorum permutationes, quæ mala fide, ac fraudulenter coram Ordinariis fiunt; eas tamen admittit, quæ bona fide, ac ſecluſa omni fraude, uno verbo, quæ a canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur: quæ nimirum reſpiciunt utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ; aut in quibus permutantium utilitas quodammodo vergit in utilitatem Eccleſiæ; ut videre

dere eſt apud Bened. XIV. *cit. cap.* 24. *num.* 9. *&* 10.

Quod autem ſpectat ad Parochialem vacantem per obitum, de hac non loquitur Bulla Pii V, unde ad illam extendi non debet; præſertim quia in vacationibus per obitum ceſſat illa ratio ſuſpectarum pactionum, & fraudum, quæ in reſignationibus facile intervenire poſſunt. Atque ita occaſione cauſſæ Patavinæ ſtatuit Sixtus V., cujus decretum *die* 15. *Junii* 1589. S. Conc. Congr. commendavit, & in poſterum ſic in caſibus occurrentibus reſpondendum decrevit, ut videri poteſt apud laudatum Bened. *ibidem num.* 5. *&* 6. Videatur etiam Pyrrhus Corradus *in Praxi Beneficiaria lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. §. *Nec tamen*.

Ad II. Reſp. requiri in promoto ad Eccleſiam Parochialem veram, & certam omnino intentionem recipiendi intra annum Presbyteratum ex Decreto Gregorii X. *Cap. Licet Canon de Electione in VI* Et Bonifacius VIII. tali animo, atque intentione carentes ad fructuum reſtitutionem Eccleſiæ ipſi faciendam cogit, *Cap. Commiſſa de elect. in* 6. Immo vero qui ſine tali intentione Parochiale beneficium recipiunt, ſunt ipſo jure beneficio privati ex *cit. Cap. Licet Canon* relato a Fagnano *in* 1. *lib. Decret. de ætat. & qualit. Cap. Quæris num.* 30. Itaque peccat

adverſus gravem Eccleſiæ legem, qui ſine dicta intentione Parochiale beneficium recipit, & ad fructuum reſtitutionem tenetur.

Eſt hic notandum I., laudatæ Greg. X. Decretali, in qua ſtatuitur, promotum ad Eccleſiam Parochialem eſſe ipſo jure ea privatum, nulla etiam monitione præmiſſa, niſi intra annum ſe fecerit ad Sacerdotium promoveri, expreſſe additam fuiſſe exceptionem a Bonifacio VIII. *cap.* 22. *Statutum hoc eod. tit. in* 6. quoad Parochum Eccleſiæ Collegiatæ, declarante, hujuſmodi pœnam ad hunc non extendi, ſed privandum eſſe per ſententiam, *juxta caput* 7. *Cum in cunctis* §. *Inferiora hoc tit.*, ut animadvertit *ſect.* 54. *Exp. Jur. Pont.* memoratus P. Giraldi.

Notandum II. cum eodem Giraldi *cit. loc.*, eidem Decretali ſtatuenti, ut aſſumpti ad Eccleſiam parochialem intra annum ad Sacerdotium promoveantur, & per ſe reſideant, ſub pœna, ſi intra id tempus promoti non fuerint, privationis ipſo facto parochiæ abſque ulla monitione, tacite derogatum eſſe ab eodem Bonif. tribuente Epiſcopis, aliiſque Superioribus facultatem diſpenſandi cum iiſdem, ut uſque ad ſeptennium, literarum ſtudiis inſiſtentes, promoveri teneantur ad Sacerdotium; dummodo tamen intra annum promoveantur ad Subdiaconatum, ſub eadem pœna a Greg. ſtatuta; ſicuti etiam eamdem pœ-

nam

nam incurrunt, ſi, elapſo ſeptennio, ad Diaconatum, & Presbyteratum ſe non fecerint promoveri, ut in ejus Decretali relata *in Cap. 34. Cum ex eo, hoc eod. tit. in* 6. At hujuſmodi facultate diſpenſandi Parochos, cauſſa ſtudiorum, tributa a Bonifacio in hac Decret., Epiſcopus poſt Trident. uti amplius non poteſt: quum enim *Cap. 18. ſeſſ.* 24. *de reform.* ſtatuerit, parochiales Eccleſias non eſſe conferendas, niſi per concurſum, conferri nequeunt, niſi perſonis actu idoneis repertis; ideoque ceſſat ratio a Pontifice hic conſiderata. Præterea, quum teſte Fagnano *in Cap. 5. Super ſpecula de Magiſtris* propoſitum fuiſſet in S. Cong. Conc. ſequens dubium: *An Ordinarius poſſit concedere licentiam Parocho, qui parochialem poſt Concilium obtinuit, ut in publica Univerſitate ſtudiis S. Theologiæ, vel Canonum vacare poſſit*, Sanctiſſimus reſpondit, non poſſe, juſſitque Epiſcopum ab ejuſmodi licentiæ conceſſione abſtinere. Idem pluries declaravit laudata Cong., ut videre eſt *lib.* 1. *Decret. ejuſdem pag.* 46., *lib.* 8. *pag* 129. & 140. *a tergo*, & *lib* 16. *pag.* 292. Propterea nullo modo audiendi ſunt Caſtropalaus *diſp.* 3. *punct.* 9. §. 9., Mendo *de jur. Academ. lib.* 4. *in append. q.* 2., aliique negantes, a Trident. revocata fuiſſe privilegia jure communi conceſſa cauſſa ſtudiorum; imo docentes, eadem potius reſervata, ac renovata ab eodem *Cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *in fine de reform.*,

eo quod ſtudiorum cauſſa ſit vere rationabilis, & tot juribus probata, ſignanter *in Cap. 5. Super ſpecula de Magiſtr.*; non ſunt, inquam, audiendi; quum Tridentini interpretatio non ad privatos Doctores, ſed privative ſpectet ad Sac. ejuſdem Congregationem, quæ, quid hac in re ſentiat, jam retuli. Quam futilis vero ſit relatorum DD. ratio, ſatis oſtendit Card. Petra *tom 4. Comment. ad Conſt. X. Bonif. VIII. num. 14. & ſeq.*, ad quem lectorem remitto. Juvat tantum advertere, quod ex ſtylo receptiſſimo Datariæ nec ſummus Pontifex tales diſpenſationes concedit; ſed præciſe ſervatur laudata Conſtitutio Gregorii X., & elapſo anno ab eodem præſcripto, paſſim conceduntur impetrationes contra illos, qui non fuerunt ad Sacerdotium promoti.

CASUS DECISI

ANNO MDCCLXXII.

Menſe Januario.

PAmelius Parochus, eo quod in Oppido, vel Parochia non deſint Concionatores, raro, aut nunquam concionem habet ad Populum; necnon tempore æſtatis, aut meſſis, cauſſa frequentantium paucitatis, inſtructionem præſertim parvulorum intermittit.

Quæritur I. An iſtæ rationes vere excuſent Pamelium.

II. Quandonam mortaliter peccent Paſtores Verbi Dei prædicationem, Populique inſtructionem prætermittentes.

DECISIO.

DUo potiſſimum onera a Tridentina Synodo Curatoribus animarum ſunt impoſita: alterum, ut diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus concionem ad populum habeant; alterum, ut iiſdem pariter Dominicis ſaltem, & aliis feſtivis diebus

pueros, & rudiores quoſque Divinæ Legis, Fideique rudimentis informent. *Archipresbyteri quoque*, ita expreſſe ſtatuitur *ſeſſ.* 5. in decreto *de reform. cap.* 2., *Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias quocunque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant*; & paullo poſt: *Neque hujus Decreti executionem conſuetudo &c. impedire valeat.* Hoc ipſum decretum repetitum eſt *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4., ubi hæc adduntur de Catecheſibus ſingulis in Parochiis inſtituendis: *Iidem* (Epiſcopi) *etiam, ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus, pueros in ſingulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus.* Quæ quidem duo onera præcepto divino Parochis impoſita eſſe, apertis verbis declarat eadem Sacra Synodus *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 1. Itaque decernit Sacra Synodus, ut Parochi, diebus ab eadem præſtitutis,

tutis, ad populos ſibi commiſſos verba faciant, quumque ad eos potiſſimum ſpectet pueris rudimenta fidei tradere, id muneris ſtatutis ſimiliter diebus accuratiſſime obeant. Dominici, aliique ſolemnes dies feſti ſunt tempora præcipua, quibus ſaltem Curatores animarum ſuos populos Verbo Dei paſcere, & Fidei Chriſtianæ rudimentis imbuere tenentur. =Concilium enim, ut inquit Merbeſius *Summæ Chriſtianæ prima ſecundæ quæſt. 80.*, dedita opera particulam hanc *ſaltem* addidit, ut ſignificaret, Populum quidem Chriſtianum omni propemodum tempore de rebus ad ſalutem neceſſariis inſtitui oportere; ſed quia plerique omnes Chriſtiani ſuo labore victum quæritant, nec habent ullum tempus præter dies feſtos, quibus audiendis prædicationibus, & *catecheſibus* vacare valeant, ideo ſaltem diebus Dominicis, feſtiſque ſolemnibus Parochos ad dandam iis ſcientiam ſalutis incumbere imperavit=.

Quod ſpectat ad concionem ab omnibus animarum curam habentibus peragendam, ſequens acceſſit declaratio, ut notat Giraldi *par. 2. Sum. Conſt. Apoſt. ſect. 81.*, quod hæc ſcilicet ex reſponſo S. Congr. Conc. ad Epiſcopum Melitenſem non opus eſt, ut ſit perpolita, & elaborata ad formam, qua communiter utuntur Concionatores, ſed *ſatis eſt*, ſunt verba reſponſi, ut habetur *lib. 6. Decretor. S. Congr. pag. 109. & ſeq., ut Parochi, etſi formaliter*

maliter non prædicent, *ſaltem Dominicis*, *& feſtis diebus plebes ſibi commiſſas pro ſua*, *& earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis*. Hanc eamdem normam adhiberi præcepit Innoc. XIII. in *Conſt. Apoſtol. Miniſterii* 13. *Maji* 1723. ſuper eccleſiaſtica diſciplina retinenda in Regnis Hiſpaniarum; quam Bened. XIII., ut cæteris Epiſcopis velut exemplar proponeretur, confirmavit 13. *Septembr.* 1724. *Conſtit. In ſupremo Militantis*. Hæc autem concio potiſſimum habenda eſt ab animarum Paſtoribus inter Miſſarum ſolemnia, aliquid exponendo ex iis, quæ leguntur in Miſſa, atque inter cætera aliquod myſterium hujus Sanctiſſimi Sacrificii juxta præſcriptum Trident. *cap*. 8. *ſeſſ*. 22. *de reform.*; qui mos, ut refert Card. Bona *Rerum Liturg. lib*. 2. *cap*. 7. *num*. 6., *nunquam interrupta ſerie ab initio Eccleſiæ uſque ad noſtra tempora ſervatus eſt*, *ut proxime poſt Evangelium ſermo*, *ſive homilia*, *vel tractatus ad populum haberetur*.

Circa pueros a Parochis inſtruendos Fidei rudimentis, edocendoſque obedientiam erga Deum, & parentes, ac circa concionem ab iiſdem peragendam, dictum Concilii decretum, ut notat cit. loco laudatus Giraldi, ampliatum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Etſi minime* 7. *Febr*. 1742. mandante §. 14., quod Epiſcopus in Eccleſiis ruralibus, etiam non parochialibus, longe a parochiali ſepoſitis, decernat, gravibus etiam ſtatutis pænis, Chri-

ſtianæ

ſtianæ doctrinæ ſummam per Sacerdotes ibi operantes populum edoceri. Ulterius §. 18. circa actus fidei, ſpei, & charitatis eliciendos a Chriſtifidelibus hæc addit: *Et quia Chriſtianam Religionem profitenti maxime neceſſaria eſt conſuetudo, & exercitatio ſæpius eliciendi dictos actus; idcirco, ne illorum uſus circumſcribatur anguſtis finibus, & exiguo numero a quibuſdam ſingulis annis præfinito, Epiſcopus ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis ſtudioſus provide ſtatuat, ut in Parochiis tum Urbis, tum Diæceſis Rectores animarum poſt Miſſam feſto die celebratam, ſtatim ante aram provoluti clara, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire ſatagant populo, verba ab ipſis prolata devote redditurо.*

Porro Pamelius Parochus, ut reſpondeam ad primam partem primi dubii in caſu propoſiti, ab onere concionis ad populum præſtitutis a Tridentino diebus habendæ eximi nequit, eo quod in oppido, vel parochia non deſint Concionatores. *Nam I.* (ita hujuſce excuſationis futilitatem optime demonſtrat Merbeſius *cit. loc. qu.* 63.) *quum ejuſmodi prædicatores dati ſint Parochis tanquam cooperatores veritatis, eos a paſtorali prædicationis officio vindicare nequeunt. Quum enim cooperatores ſupponant primos quoſdam operarios, quibuſcum ad ædificandam Eccleſiam incumbant, tantum abeſt, ut cooperatores* (*quales ſunt Prædicatores*) *Parochos ab impoſito illis officio eximant, ut ex adverſo magis eos*
ad

ad illud adſtringant, quo ſcilicet primorum operariorum, & cooperatorum concatenati, copulatique labores ad promovendam fidelium ſalutem efficacius concurrant. II. Si ejuſmodi Prædicatores Parochos a munere inſtructionis populo debitæ vindicarent, ſequeretur Parochos, quibus Vicarii ſuppeterent, ab omni Paſtoralis officii onere liberari, quod nemo cordatus admiſerit: nam Vicarii aſſumuntur ab Epiſcopis, & Parochis, non ut ipſi rerum agendarum ſpectatores otioſi ſedeant, ſed ut quod ipſi multiplici negotiorum mole diſtricti per ſe præſtare nequeunt, Vicariorum opera ſuppleatur. III. Etſi Prædicatores conciones ad exterminanda populorum vitia appoſitas exararent; inter Parochum tamen, & id genus concionatores plurimum intereſt. Nam Paſtoralis charitas ſingulari quapiam pollet virtute, & gratia, qua monita ſalutis in ovium corda trajiciat; præterquamquod mutuus ille amor, quo populi virum ſuis penitus obſequiis addictum proſequi tenentur, mirifice delinit animos, eoſque ad ſalutis ſcientiam ex eorum ore avide percipiendam incredibiliter afficit. Vide caſum reſolutum menſe Septembri an. 1771., ubi egregie demonſtratur, Parochos, alioſque, quibus cura animarum commiſſa eſt, debere munia paſtoralia *per ſe* præſtare, & implere.

Neque, ut alteri parti primi quæſiti ſatisfaciam, ullo pacto excuſari poteſt Pamelius, qui tempore æſtatis, aut meſſis, cauſſa frequen-

quentantium paucitatis, inſtructionem præſertim parvulorum intermittit. Wan-Eſpen *Juris Eccl. par. 1. t. 3. cap. 4.* plura recenſet Synodorum Belgicarum decreta, quibus juxta Tridentinum ſtatuitur, Paſtoribus, & Animarum Curatoribus diebus dominicis, & feſtis ſingulariter incumbendum inſtructioni, in qua primæ Fidei, & Religionis rudimenta ad captum & parvulorum, & rudiorum traduntur, quam *Catechiſmum* dicimus; atque ex harum Synodorum decretis infert, *hanc ſeu puerorum, ſeu adultorum inſtructionem non tantum in hyeme, ſed & æſtate, id eſt toto anni tempore eſſe faciendam; neque omittendam, eo quod pauci forſan ſint Auditores; nam nec hi pabulo Verbi Dei ob aliorum negligentiam, aut impedimenta fruſtrandi ſunt, ne alias & ob neglectum horum vere dicatur*: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. *Unde* (proſequitur idem Auctor) *& improbanda, atque a Synodis improbata eſt illorum Parochorum praxis, ſeu potius ignavia, qui, cauſſa frequentantium paucitatis, tempore æſtatis, aut meſſis inſtructionem, præſertim parvulorum, intermittunt. Ex quo contingit, parvulos circa Fidem, & Religionis rudimenta nihil, aut parum eſſe inſtructos; quum ex intermiſſione tanti temporis facile excidat puerorum memoria, quod leviter in hyeme dedicerunt.*

Verum rem penitus conficit Innocentius

XIII.

XIII. in ea Conſtitutione, quam ſuperius diximus, a Benedicto Pontifice confirmata, in qua mox a Pamelio allatas, omneſque alias excuſationes, ab ignavis Parochis adinventas ad declinandum onus populum tam per conciones, quam per catecheſes ad vitam chriſtianam erudiendi, de medio penitus abſtulit, & poſtquam munus a Tridentina Synodo ipſis impoſitum explicavit, hæc verba adhibuit: *Nihilominus nonnulli Parochialium Eccleſiarum Rectores hæc, quæ ſuarum partium adeo ſunt, prætermittunt, culpam hujuſmodi a ſe amoliri nitentes vel prætextu immemorabilis, ſed quidem pravæ conſuetudinis, vel quia hæc ab ipſis præſtari neceſſe non videatur, ſuppetente nimirum copia aliorum habentium ſacras conciones in aliis Eccleſiis &c. Ne itaque ſub inani iſtarum, aliarumque ſimilium excuſationum prætextu tanta Chriſtianæ Reipublicæ pernicies ſtruatur, diſtricte præcipimus &c.*

Ex hactenus dictis prona eſt reſponſio ad II. dubium, quod reſolvo cum Bonacina, quem certe nemo nimiæ ſeveritatis accuſaverit. Sic loquitur hic Auctor circa tertium Decalogi præceptum *Diſput. 5. q. unica, puncto 2. n. 30.*

Secundo dubium eſt, quandonam mortaliter peccent Paſtores verbi Dei prædicationem prætermittentes.

Reſpondeo, ait, *toties peccare contra præceptum*

ceptum divinum, quoties populus graviter indiget prædicatione: nam ex mandato Dei tenentur oves ſuas verbi Dei prædicatione paſcere, ut patet ex Tridentino ſeſſion. 23. cap. 1. de reform. Ergo maxime tenentur, dum populus graviter indiget. Hæc ibi.

At num. 31. ſequent. *Gravior difficultas eſt,* ait, *utrum Paſtores, præciſa gravi populi neceſſitate, graviter peccent contra Decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 5. cap. 2. de reform., ſeſſ. 23. Cap. 1. de reform., & ſeſſ. 24. Cap. 4. de reform., quoties ſingulis dominicis diebus, aliiſque ſolemnibus feſtis non concionantur.*

Ego arbitror mortaliter peccare, ſi uno integro menſe continuo, aut etiam ſi duobus, vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionentur. Ratio eſt, tum quia hæc videtur materia gravis non ſolum ſecundum ſe, verum etiam reſpective: tum quia Concilium Trid. ſeſſ. 5. Cap. 2. de reform. decernit, Parochos, & alios Eccleſiarum Prælatos, ſi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, cogendos eſſe per cenſuras, & alias pœnas ad hoc munus obeundum. Supponit ergo Concilium Trid. ſaltem ſpatium trium menſium eſſe notabile, & gravem culpam inducere, quum Eccleſiaſticæ cenſuræ, utpote graves pœnæ, nonniſi mortaliter peccantibus infligi ſoleant. Qui vero per menſem circiter non continuum toto anno non concionatur, probabiliter excuſari poſſe videtur a mortali: quia Triden-

dentinum (præciſa gravi populi neceſſitate) non adeo gravem neceſſitatem imponit, teſte conſuetudine. Hæc Bonacina loco laudato, qui & infra ita eadem de re loquitur num. 2.

Rurſus difficultas eſt, utrum Parochus, qui prætermiſſa duobus, vel tribus menſibus concione, rurſus aliquas conciones ſine juſta cauſſa prætermittit, toties peccet, quoties prætermittit.

Reſpondendum videtur affirmative: nam omiſſiones continuantur, unamque graviorem materiam integrant, & obligatio concionandi non eſt affixa diei, ita ut tranſeat cum ipſo die: non enim principaliter, & immediate impoſita eſt in honorem Dei, ſed principaliter reſpicit ſalutem animarum.

Hæc ille, cujus veriſſima ſententia, utpote Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ decretis innixa, a nemine citra nefariam temeritatem, & pervicaciam impugnari poteſt: neque contraria, quidquid vel ipſe, vel alii occinant, probabilis haberi poteſt, ut probat Merbeſius *Sum. Chriſt.* 1. 2. *quæſt.* 52.

Porro quæ reſoluta ſunt de Parochis mortaliter delinquentibus, eo quod Verbi Dei prædicationem prætermittant, a fortiori dicenda ſunt de Parochis parvulorum, adultorumque etiam rudiorum inſtructionem omittentibus. Quum enim non ſolum parvulis, ſed & adultis neceſſaria eſſe ſoleat iſtiuſmodi inſtructio, utpote frequenter in præcipuis, & maxime neceſſariis Religionis articulis parum inſtru-

inſtructis ; potiſſimum tenentur Animarum Curatores Parochiæ ſuæ pueros, alioſque etiam adultos rudiores Fidei Chriſtianæ rudimentis, aliiſque præceptis animarum ſaluti neceſſariis in catecheſibus erudire. Epiſcopi autem juxta mentem Tridentini paſtorali vigilantia, adhibitis etiam, ſi opus ſit, Eccleſiaſticis cenſuris, proſpicere debent, ne ullis in Parochiis in eorum Diæceſi poſitis, quovis modo exemptis, Dominicis ſaltem, feſtiſque diebus deſit Evangelii prædicatio, Populique per catecheſes inſtructio.

Mense Februario.

Petronilla puella pulcherrima, criſpatis crinibus ope adoleſcentis capillorum tonſoris, ornata veſtibus valde vanis, aptatis denudato pectori translucentibus velis, & ſimilibus cooperto capitis vertice, ſe confert ad Eccleſiam, ut expiata conſcientia ſumat Sacram Synaxim.

Quærit. I. An Petronilla peccaverit, præſertim permittens ſe ab adoleſcente criſpari.

II. An parentes peccaverint, eam non vetantes criſpationem, aliaſque vanitates.

III Ad quid Parochus, & alii Sacramentorum Miniſtri teneantur, ſi accedit ad Sacramenta.

SO-

DECISIO.

AD I. Apoſtolus 1. *Tim.* 2. *Volo*, inquit, *mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe : non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa*: *per quod*, ait Angelicus 2. 2. *q.* 169. *v.* 2. *ad* 1., *datur intelligi, quod ſobrius & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus*. Etenim mulieres, ſubdit idem Angelicus *loc. cit. ad* 4, *licite ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris*. Quæ S. Thomæ verba explicans Cajetanus animadvertit, *quod exterior apparatus ad tria ſecundum rectam rationem ordinatur. Primo ad fomentum corporis: & hoc eſt neceſſitatis. Secundo ad honeſtatem: & hoc eſt etiam neceſſitatis ex parte animæ, ſicut primum ex parte corporis ... Tertio ad ornatum vel honoris, vel pulchritudinis ... Recta ratio dictat, ut quilibet, prout eum decet, honorabiliter procedat in hac vita, in qua exteriora ſunt quædam interiorum teſtimonia. Ornatus autem pulchritudinis fere proprius videtur mulierum: quoniam oportet eas amari, ut pulchras ad habendos, vel conſervandos maritos bene diſpoſitos. Intantum autem quælibet harum cauſſarum apparatum exteriorem honeſtat, ut nec veniale peccatum ſit mulierem ornatam ſecundum decentiam ſui ſtatus*

tus amplius ornari, ut pulchra ſit viro ſuo. Itaque quod ſicut ornatus honoris licite apponit ſupra veſtem neceſſitatis, ita ornatus pulchritudinis licite apponit, quando opus eſt, ſupra ornatum honoris. Hactenus Cajetanus.

Petronilla igitur, quæ ornata veſtibus valde vanis, aptatis denudato pectori translucentibus velis ſe confert ad Eccleſiam, culpæ expers haud eſt: quandoquidem ornatus illius a ſobrietate, & verecundia deflectit. Licet enim mulieribus,præter ornatum ad decentiam ſui ſtatus conſervandam neceſſarium, aliquid amplius ornatus permittatur ob ſolam pulchritudinem maritorum gratia, quos aut jam habent, aut certe quærunt: nihilominus ornatum hujuſmodi, quamvis majorem ſimpliciter neceſſario, adhuc tamen intra moderationis & honeſtatis limites conſiſtere oportet. Verum lethaliſne, an duntaxat venialis peccati rea cenſenda eſt Petronilla? Ornamentorum exceſſum, qui ſit valde immoderatus, etiam ſepoſita alia quacunque pravitate, mortalis culpæ damnant S. Antoninus, S. Bernardinus Senenſis, Angelus, Tabiena, Sylveſter, aliique. Sed Cajetanus a Navarro ſequutus hæc habet: *Licet ſuperfluitas ornatus in pretioſis reſpectu perſonæ ſit vitioſa, ſi deſit tamen contemptus, & malus mortaliter finis, & lex, hoc eſt loquendo de ipſa ſuperfluitate ſecundum ſe, non eſt mortale, etiamſi notabilis ſit exceſſus. Exceſſus*

notabilis, monet Sylveſter, *eſt arbitrio boni viri, non generali regula determinabilis*. S. Antoninus addit: *boni viri dico non ſolum in conſcientia, ſed in ſufficienti peritia*. Quicquid autem ſit, an valde immodicus ornatus ſit per ſe culpa mortalis, non raro tamen accidit, ut mortalis evadat ratione alterius pravitatis connexæ; atque ut Leſſius notat: *primo, ratione mali finis, ut ſi fiat animo pertrahendi ad libidinem. Secundo, ratione præcepti poſitivi, ut ſi talis exceſſus eſſet vetitus aliqua lege ſub pœna excommunicationis, eaque ſervaretur... Tertio, ratione ſcandali, ut ſiquis uteretur veſte adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non ſatis tegerentur. Idem enim judicio morali non tam eſſet pulchritudinem oſtentare, quam homines directe ad libidinem allicere... Quarto, ratione contemptus proximi, ut ſiquis ita propter ornatum ſe extollat, ut proximos deſpiciat, vel affectu ornatus proximi ſalutem nihili pendat, non curans, an ſcandalizetur, an non. Quinto, ratione effectus, ut ſi ornatus eſſet illi cauſſa furandi, non ſolvendi debita, non dandi eleemoſynam, quando ſub peccato mortali tenetur. Sexto, ratione affectus, ſi nimirum ita afficiatur ornatu, ut in eo ultimum finem collocet, ſive ut paratus ſit propterea mortifere peccare; qui modus ceteros fere complectitur*. Hucuſque Leſſius. Itaque Petronilla ſine dubio ſe gravi ſcelere adſtringeret, quoties alicujus ex dictis circunſtantiis labe

labe ornatus ejus eſſet infectus. Imo cum Petronillæ ornatus valde vanus talis equidem videatur, ut per ſe vim habeat ad malum notabiliter provocandi; cenſenda utique ea eſt ob hanc ſolam rationem mortalis criminis rea, quamvis directe proximi periculum, ruinamve non intenderit. *Pecca*, inquit S. Carolus Borromæus in Monitis, quæ Confeſſariis tum Urbis, tum Diæceſis ſuæ Mediolanenſis italico ſermone dedit, *anco mortalmente la perſona nel modo dell' ornarſi, quantunque la ſpeſa non paſſi lo ſtato, e facoltà ſua, come ſe l' ornato è induttivo da ſe a laſcivia, o veramente per comune interpetrazione degli uomini.* Et Nicolaus Terzago Epiſcopus Narnienſis in ſua Inſtitutione pro recta Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione italico ſermone conſcripta *pag.* 301. hæc habet. *Queſto e il caſo ultimamente riſervato dal noſtro Veſcovo, cioè: „ Mulieres per vias publicas incedentes, ſive in Eccleſiis, aut officinis degentes „ cum pectore, brachiis, ſcapulis denudatis, poſt „ monitionem faciendam a Confeſſariis non ſe „ emendantes &c. „ conforme ſotto pena di ſcomunica di lata ſentenza a ſe riſervata aveva proibito la S. Mem. del Ven. Innoc. XI.* Et ſubdit mulierem peccare lethaliter, *ſe probabilmente, o prudentemente giudichi, o debba giudicare, che con tale ornato dà occaſione che altri l' ami inoneſtamente, o ſi*

 faccia

faccia con fine d' eſſere guardata, ed amata diſoneſtamente. E perchè è difficiliſſimo che le donne mediante il loro ornato non cadano in alcuno delli ſuddetti diſordini; perciò è difficiliſſimo, che l' ornato ſuperfluo, e ſtraordinario delle medeſime non ſia peccato mortale. Legendus S. Bernardinus Senenſis *Serm.* 46. *tom.* 1. *de Chriſtiana Religione art.* 2. *cap.* 2. Cum autem Petronilla ſe ad Eccleſiam contulerit, aptatis quoque denudato pectori translucentibus velis, dicendum inſuper eſt, ſolius etiam pectoris nuditatem ſatis eſſe potuiſſe ad crimen lethale. *Nullo modo permittendum eſt mulieribus*, ajebat Clemens Alexandrinus, *ut appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur: hi quidem, ut qui ad videndum incitentur, illæ vero, ut quæ in ſe virorum intuitum attrahant.* Si ornatus notabiliter ad Venerem laceſſens, etiam pectore ac uberibus tectis, a ſanctiſſimis & doctiſſimis viris mortalis culpæ damnatur: multo magis fœminei pectoris nuditas cum cetero ornatu conjuncta, præſertim ubi in uſu non eſt, paris omnino delicti neceſſario damnanda, cum ipſa venereas flammas, ſola etiam plus nimio communiter excitet. Dixi, *præſertim ubi in uſu non eſt*: Caietanus enim ſequutus a Fumo, Navarro, Graffio, Sanchez, Filliucio, Bonacina, Leſſio, Azorio, Layman, Diana, aliiſ-

aliiſque hæc docuit: *Pectus a mulieribus decoris gratia nudum alicubi defertur, ac per hoc ad ornatum reducitur pulchritudinis, quod etiam ornatus talem habens conditionem, ſcilicet nudati pectoris juxta patriæ morem, non eſt ſecundum ſe mortalis. Et ratio .. quia pectus non eſt inter pudenda.. ac.. non habet ex ipſa ſui ſpecie provocare ad laſciviam, ſed tantummodo ut confert ad majorem pulchritudinem*: additque, viros nuditate pectoris muliebris diverti a majoribus criminibus. Sed hæc ultima ratio Cajetani acriter, ac nervoſe refellitur ab Adamo Contzen *lib. 2. Politic. c. 2. §. 14. Improbiſſima*, inquit, *eſt eorum ratio, qui publicis illis voluptatibus deteriora caveri arbitrantur. Ubi invaluerunt, flagitioſiſſima quæque perpetrantur. Fuga optime caſtitati conſulit. Quæ eſſe non poteſt, ſi publica ſunt incitamenta libidinum; ſi cæcum eſſe oporteat, ne malum videas; ſi in porticibus, in foro, in vicis omnia turpibus abundant; ſi in poculis, ut inquit Plinius lib. 31. cap. 1., libidines cælare juvat; ſi imagines illecebroſæ in conſpectu juventutis impune collocantur. Venenum publice non venditur; animarum toxica in nundinis Chriſtianorum .. venduntur*. Nec magis urget altera ratio; nam pectus muliebre, & mamillas, utcunque partes honeſtæ ſint, ac reputentur; cum tamen notabiliter valde ad libidinem provocent, tegere lex ipſa naturalis, & divina de vitando puſillorum ſcandalo, ſubdu-

cendaque proximo gravi delictorum occaſione omnino jubet. Quare ſubſcribendum S. Antonino, qui in *Sum. p. 2. tit. 4. c. 5. §. 3. verſ. Quantum ad primum*, ait: *Si enim de uſu patriæ eſt, ut mulieres deferant veſtes verſus collum ſciſſas, & apertas uſque ad oſtentationem pectoris, & mamillarum, ut in partibus Rheni, valde turpis & impudicus eſt talis uſus, & ideo non ſervandus*. Non diffiteor tamen dari poſſe in hac fœminei pectoris nuditate levitatem materiæ, conſuetudinemque efficere poſſe, viros ex hujuſmodi nuditatis viſu, maxime ſi valde immoderata non ſit, minus ad concupiſcentiam moveri. Sed non tam facile levitas materiæ, vel patriæ conſuetudo tueri poterunt a lethali Petronillam, quæ veſtibus jam valde vanis pectoris denudationem adjecit; atque adeo magis magiſque efficaciam pulchritudinis, atque ornatus ad malum allicientis explevit. Nec ſufficientia ſunt ad tuendam eam a mortali vela tranſparentia. Ceſenatenſis Epiſcopus hunc ſibi caſum reſervavit *num. 7. Mulierum inverecundia, quæ pectus, vel humeros in loco publico notabiliter denudant, vel tranſparentibus ſolum velis cooperiunt*. Enimvero tenue ac mendax velamen majus potius libidinis irritamentum eſt, quam tegumentum pudoris. Sed peccavitne quoque Petronilla permittens ſe ab adoleſcente criſpari? Non audeo definire, quoad hoc Petronillam ſecundum

dum ſe peccaſſe. Facillime vero induci potuit ad peccandum, & quidem graviter, ex circunſtantiis vel ætatis, vel cooperationis, vel ſcandali, vel abuſus illius exercitii præſtiti non a muliere, ut decebat, ſed ab adoleſcente pulcherrimo, ac in amoris artibus, ut in more poſitum eſt, enutrito. Sic ſapienter recentiſſimus quidam Auctor, qui hanc ſibi propoſuit enucleandam difficultatem.

Ad ſecundum, ſi vel ob circunſtantias, vel ob ipſum ſolum ornatum vehementer ad libidinem allicientem, inexcuſabilem diximus, ac damnationis æternæ ream Petronillam; multo magis parentes ejus grave commiſiſſe piaculum dicendi erunt, arctiſſimo educationis vinculo obſtricti.

Ad tertium, *Nullo pacto*, inquit Benedictus XIV. *de Syn. Diœc. lib.* 11. *cap.* 12. *n.* 6., *prætermittendum eſt celebre edictum, juſſu Ven. Dei Servi Innocentii XI. promulgatum, confirmatumque a San. mem. Clemente* XI. *die* 5. *Julii* 1713., *quo diſertis verbis prohibetur, ne ad ſancta Sacramenta præſertim Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, illæ mulieres admittantur, quæ cum debita modeſtia ad ea non accedunt, quæque humeros, pectuſque veſte, ſeu panno, aliove integumento, quod translucidum non ſit, opertum non habent.*

MENSE MARTIO,

HEraclius Filiusfamilias, invitis parentibus, clam amorem exercet cauſſa matrimonii cum Fulvia, quæ eum animadvertit graviter tentatum, licet ipſa nullam ſentiat ad peccandum inclinationem.

Quæritur I. An graviter peccet Heraclius tum propter inobedientiam, tum propter occaſionem.

II. An a lethali peccato excuſanda ſit Fulvia.

III. An Sponſi ſoli inter ſe converſantes incurrant in noſtra Genuenſi Diæceſi aliquam cenſuram.

DECISIO.

MAtrimonia a Filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, nec irrita ſunt, nec a parentibus irritanda. Nihiloſecius ea ſemper deteſtata eſt, ac prohibuit Sancta Dei Eccleſia, ajunt Tridentini Patres *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matrim.* Sed cum nonniſi graviora crimina deteſtari, ac prohiberi conſueverint; inde graviter peccare filios, qui parentibus vel inconſultis, vel juſta de cauſſa reluctantibus, & invitis ineunt matrimonium, revocari nequit in dubium. Nec ulteriora deſunt hujuſce criminis argumenta. Divina Lex, qua filii paren-

parentes ſuos honorare jubentur, & quæ, ſi eos umquam urgeat ſtrictiſſime, urget plane in hoc negotio omnium graviſſimo, unde perpetuus vitæ ſtatus, & totius humanæ ſocietatis optima inſtitutio, pax, & conſervatio dependet: Jus illud Gentium vetuſta omnium nationum conſuetudine receptum, & ab Jure Pontificio ſæpius firmatum *cauſ. 30. quæſt. 5. cap. Qualis, ibid. cap. aliter, & cauſ. 35. cap. Videbitur nobis*, quo non filiorum eſt ſibi quærere nuptias, cum id munus ad parentes pertineat: Patrum graviſſimæ reclamationes, quibus hujuſmodi matrimonia modo *impia* nuncupantur, *Conc. Aurelianen. IV. C.* xxii., modo *fornicationes*, *S. Baſil. Epiſt. ad Amphiloch.*, non jam quod fornicaria in ſe formaliter illa ſint, ſed quod Veneris potius, quam Dei cauſſa contrahantur: demum pœna illa ſeverior exhæredationis, *Conſtit. Gall. Henrici III.*, *& Ludovici XIII.*, & excommunicationis *Concil. Colonienſ. de adminiſtr. Sacram. Cap.* xliii., *& Aurelianenſ. ibid.*, cui Civiles, & Eccleſiaſticæ leges filios ſic ingratios ſtrictiſſime ſubdunt, ſi recto conſultoque judicio expendantur, omnia hanc filiorum inobedientiam parentibus ſuis graviter injurioſam demonſtrant. Neque in re adeo aperta conſentientes Theologos memorare juvat: hæc una præſtantiorum omnium ſententia eſt. Legantur tamen præ ceteris Bonus Merbeſius *diſput.*

7. de

7. de Sacr. Matrim. quæſt. 7., & Franciſcus Muſcetula Archiepiſcopus Roſſanenſis, qui integram, eruditamque hoc de argumento diſſertationem Theologico-legalem evulgavit, ac Reſolutio Caſus ad menſem Aprilem *an. 1770.*

Si igitur utroque Jure in nuptiis contrahendis, non modo conſenſus contrahentium requiratur, ſed & eorum etiam, in quorum poteſtate ſunt, quorum auctoritas adeo neceſſaria eſt, ut abſque illa nuptiæ deteſtentur, reprobentur, damnentur; quamvis eorumdem conſenſus ex honeſtate potius, imo ex pietatis officio, & juſtitiæ regula exigatur, nec matrimonii ſubſtantiam attingat; quotus quiſque reperietur, qui liberos in parentes ſuos hac in parte contumelioſos ab lethali culpa excuſare vel poſſit, vel audeat?

Audent id quidem Salmanticenſes Theologi, qui paucorum auctoritate ſuffulti *tract. de Matrim. Cap. 6. p. 2. n. 22.* venialis dumtaxat culpæ ſontes eoſdem edocent, doctrinamque ſuam & noſtra veriorem, & ab ipſo D. Thoma traditam fidentius occentant: eo quod *2. 2. q. 10. a. 5. in* o ſcribat: *Non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel de virginitate ſervanda .... in quibus homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo.* Verum qua ratione opinio illa verior edoceri queat, quæ Doctoribus & numero, & auctoritate majoribus oppo-

opponitur, & quæ firmiſſimis adeo rejicitur argumentis, haud ſatis intelligo: ſicuti nec erit umquam, qui intelligat, laudatam D. Thomæ ſententiam, Salmanticenſibus favere, cum abs re & ſit, & eſſe ultro videatur. Loquitur enim Angelicus de perpetuo vitæ ſtatu eligendo vel matrimonii, vel virginitatis, vitæque monaſticæ, in cujus electione liber utique quiſque eſt, nec alicui ſubditus, niſi Deo. At non inde ſequitur, quod ſi juſte interſit parentum, ut filius vel hoc matrimonium ineat, vel ab illo deſiſtat, non obſtringatur filius ſub mortali culpa, obedire parenti illud præcipienti. Sic Iſaac Patriarcha *Geneſis Cap. XXVIII.* prohibuit Jacob filio ſuo, ne acciperet conjugem de genere Chanaan, ſimulque præcepit, ut aliquam duceret de filiabus Laban avunculi ſui: & hoc præcepto, uti notat ipſemet Doctor Angelicus *in 4. diſt. 29. q. 2. a. 4.* jure meritoque obſtrictum ſe Jacob exiſtimavit, illique religioſiſſime paruit. Quidni ergo Chriſtianorum filii, dum de matrimonio ipſis agendum erit, parentibus ſuis religioſe obtemperare teneantur?

Porro id de juſto, ac rationabili parentum imperio accipiendum eſſe vel ab initio diximus. Non enim, fateor, peccabit filius, ſi reſiſtat injuſte reluctanti Patri, quique vel ipſum ad indignas nuptias propter pinguiorem dotem adigeret, vel eidem uxorem propo-

neret

neret ægram, moroſam, difficilem, cum qua ſe vix ac ne vix quidem pacifice, & chriſtiane ſe victurum ſperaret. Nihilo tamen minus viros Confeſſarios, ac præſertim Parochos clariſſimi Wan-Eſpenii *p.* 2. *tit.* 12. *de ſponſ. & matrim. cap.* 4. *n.* 28. monitum aufugere nollem, videlicet „ Filiis non eſſe licitum „ ſemper invitis parentibus contrahere matri- „ monium, quantumvis eſſent irrationabiliter „ inviti, eo quod non raro mala ſecutura ex „ hujuſmodi matrimoniis, invitis parentibus „ contractis, ſint majora, quam bonum ex „ matrimoniis illis ſperandum „.

Quæ de matrimonio hactenus edocuimus, eadem de ſponſalibus intelligantur, quia ex *L. Oratio de ſponſalib.* prohibitio nuptiarum porrigitur ad ſponſalia, quæ nil aliud ſunt, niſi data fides de futuro conjugio. Immo ſi filiusfamilias deſponſæ ſuæ matrimonium promittet neſciis, invitiſque parentibus contrahendum, etiamſi promiſſionem ſuam juramento confirmet; ego plane clariſſimo Franciſco Schmalzgrueber Ingolſtadienſi Doctori *p.* 2. *tit.* 2. *de deſponſat. impub. n.* 81., aliiſque Canoniſtis ſubſcribere non renuam, qui iſtius ſponſalia non modo illicita, ſed invalida, & a parentibus irritanda defendunt. Promiſſio de re inhoneſta, & peccaminoſa ne juramento quidem firmata ſubſiſtit *Cap. Quanto de jurejurando* 18., ſed potius data fides eſt reſcinden-

da

da ex *Cap. in malis cauſ. 22. quæſt. 4.* Ergo nec valebit promiſſio conjugii illicite contrahendi, in quo juſtitia, charitas, & pietas parentibus debita culpabiliter violaretur.

Iſthæc fuſiori paullulum ſermone præmonere libuit; cum his difficilior forſitan dati dubii nodus ſolvendus inſideat. Ideoque

I. Dico ad I. lethaliter peccare Heraclium tum propter inobedientiam, tum propter occaſionem, dum graviter tentatus amorem exercet cum Fulvia matrimonii cauſſa, ſed clandeſtine, & invitis parentibus; ſi tamen ii rationabiliter contradicant, reluctentque. Reſponſionis veritas ultro ſe prodit; tum quia ex dictis gravem in re gravi injuriam irrogat parentibus, tum quia, proximæ occaſioni peccandi voluntarie ſe ſe committit. Ut homo cenſeatur poſitus in occaſione proxima peccati, ideoque jam peccati reus, haud neceſſe eſt, ut quis in ea frequenter peccaverit, ſed ſufficit, ut probabili peccandi periculo libere, voliteque exponatur juxta illud *Eccleſiaſtici cap. 3. Qui amat periculum, peribit in illo*: in quo plane periculo verſatur Heraclius inter voluntarias ſui amoris illecebras graviter tentatus, licet pulſanti tentationi minime ceſſerit. Ita ex Præceptore noſtro *2. 2. q. 11. n. 9. in o.* veteres ii Magiſtri, qui ante exortas laxitates ſcripſerunt, & ex recentioribus Merbeſius, Antoi-
ne,

ne, Alexander, Concina, Collet, aliique plures, qui liberiori calamo caſtigatiorem ethicam edocuere. Unde S. Carolus Borromæus peccatoribus in hac peccati occaſione poſitis Sacramentalem abſolutionem denegandam voluit *in Inſtruct. Conf. p. 2. cap. 15.*, & Cardinalis Denhoffius in ſua paſtorali inſtructione a pleriſque Epiſcopis recepta inter occaſiones proximas non eas ſolum recenſet „ Quæ ſemel iterumque ad peccatum „ præmoverunt, ſed eas etiam, quæ fortes „ pariunt tentationes, tametſi in crimen non- „ dum pellexerint. „ Et ſane qui in occaſione adeo periculoſa libere manent, quo jure, quave in Deum fide extraordinaria gratiæ auxilia ſperare poſſunt, ſine quibus tamen gravis tentatio non ſuperatur?

II. En itaque quid de Heraclio ſentiamus, cujus proinde confectarium eſt, lethalis etiam peccati ream eſſe Fulviam, quæ, dum gravem ſponſi tentationem agnoſcit, non ejus familiaritati valedicere curat. Non habet ipſa, neque ullam ſentit ad peccandum inclinationem. Sit ita: at nonne morali peccati periculo & ſemetipſam exponit, & amaſium ſuum? Nonne hacce propudioſi amoris conſuetudine quodam veluti folle vividior tentationis flamma excitatur, paſcitur, roboratur? Quo igitur charitatis præcepto quodlibet peccatum fugere obſtringitur, eodem ipſo

ipſo ſpiritualem quamlibet proximi ſui ruinam removere jubetur. Alioquin graviter illam coram Deo peccare, nemo eſt, qui ire poſſit inficias.

Neque a culpa immunem ſe ſe opinetur Fulvia, quod amorem cum Heraclio *honeſte* exerceat cauſſa matrimonii, quod liberum ſibi eſt, valde utile, atque decorum: idque firmius, quod ejus conſcientiam in tuto ponere videantur aliqui notæ non inferioris Theologi, Cardinalis Delugo *diſp. 14. n.* 152., Leander, Bonacina, Layman opinantes, quod nullus cum magno ſuo detrimento peccati occaſionem proximam fugere præcipiatur. Verum eos in hoc male ſapere, vitiiſque nimium blandiri cordatiorum nemo non agnoſcit „ Quæ ſi vera ſint, ait iterum, iterumque laudatus Merbeſius *de Pœnit. diſſert. 4. q. 48.* „ jam ex lege tam veteri, „ quam nova expungendum eſt primum, & „ maximum divinæ dilectionis mandatum: „ ex Evangelio pariter eradendum eſt divi„ num illud Chriſti Domini oraculum*: quid „ prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, „ animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam „ dabit homo commutationem pro anima ſua?* „ ipſum denique Evangelium penitus oblite„ randum „ Ea propter vigilantiſſimus univerſalis Eccleſiæ Paſtor Innocentius XI. inter alias hanc propoſitionem omnem omnino licentiam

centiam in diſciplinam morum invehentem ſuo cenſuræ fulmine perſtrinxit *n.* 62.: *proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* Non ergo excuſatur Fulvia, quin Heraclio ſuo ſicut illiciti amoris, ita & lethalis criminis ſocia jure meritoque judicetur.

III. Reliquum modo eſt, ut de tertio propoſitæ quæſtionis capite pauca dicamus, quod facti potius eſt, quam juris. Itaque Sponſi de futuro ſoli, nulloque adhibito arbitro inter ſe converſantes peccant illi quidem graviſſime, ſed nullam in hac Diæceſi cenſuram incurrunt.

Ita in Synodalibus Eccleſiæ noſtræ Statutis decretum eſt, quæ conformiter ad Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 24. *de Reform. Matrim.* aliarumque Synodorum piiſſimas conſtitutiones Mechlinienſis, Cameracenſis. Mediolanenſis vetant de Sponſis „ ne ante contractum ma-
„ trimonium in eodem tecto ſimul habitent,
„ ne carnale commercium mutuo habeant,
„ nec ita cum altera alter verſetur, ut for-
„ nicationis periculum, aut ſuſpicio eſſe poſ-
„ ſit „ ſed ſolam inter eoſdem carnalem copulam excommunicationis pœna reprobant, damnantque. Legimus ſiquidem in Diœceſana Synodo anni 1643. ſub Eminentiſſimo Cardinali Stephano Duratio: *Caveant Sponſi, ne ante matrimonii celebrationem per verba de præ-*

ſenti

ſenti inter ſe copulam habeant ſub excommunicationis pœna, cap. 24. de Matrim Sacram; quod eiſdem ferme verbis confirmatur in altera Synodo anni 1683. ſub Julio Vincentio Gentili Archiepiſcopo: *Ante matrimonii celebrationem per verba de præſenti caveant Sponſi a copula ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, cujus abſolutionem nobis reſervamus, cap. 15. de Matrim.* Nec mirum, quod prohibeantur Deſponſis ea, quæ aliis vetita non ſunt: nam lacrymabilis experientia frequenter edocet, hæc tanto perículoſiora eiſdem eſſe, & certioris peccati offendiculum, quanto magis creſcit affectus, & ſpes propediem matrimonio potiendi, & ſecuritas a dedecore, quod nondum deſponſati timent, & ex animo fugiunt.

Severius plane egit cum deſponſatis Cardinalis Sauli, qui in ſua Diœceſana Synodo habita anno 1588. eoſdem ſolos inter ſe converſantes excommunicationis *latæ ſententiæ* pœna mulctavit. Sed præterquamquod hæc excommunicatio ſublata fuit in Synodo Diœceſana celebrata ſub Horatio Spinola anno 1604.; attendenda nunc ſolum eſt citata Synodus Eminentiſſimi Duratii, in qua hæc eadem excommunicatio non infligitur, ac præcedentium Synodorum tam Sauli, quam Spinolæ obſervantia abrogatur *cap. 38. de Conſtitutionibus* hiſce verbis: *Conſtitutiones Synodales a nobis in præſenti Synodo modo editas, &*

O pu-

publicatas....firmas, & ratas eſſe volumus... ceteras autem a Prædeceſſoribus noſtris in Synodis editas, & publicatas, præter contentas in Synodo Provinciali, irritamus, annullamus, & nullius roboris eſſe decernimus, & declaramus. Quapropter audiendus hic non eſt Joſeph Maria de Saporitis Archiepiſcopus Genuenſis, qui in ſuis Paſtoralibus Inſtructionibus *part. 1.* §. 6 præmemoratam Cardinalis Sauli cenſuram, utpote ſynodalem, firmam adhuc eſſe, ſuoque in robore vigentem proponit. Id tamen non ex errore, ſed ex inadvertentia Paſtori alioquin eruditiſſimo excidiſſe judico, quod illius cenſuræ revocationem præ oculis non habuerit.

Mense Aprili.

Hermenegildus Parochus, qui ſolet indiſcriminatim omnes infantes, jam domi ab obſtetricibus, vel aliis privatim baptizatos, iterum in Eccleſia baptizare ſub conditione, baptizavit etiam ſub conditione puerulum expoſitum, tametſi appenſam haberet collo ſchedulam atteſtantem, eum fuiſſe ſacro baptiſmate ablutum.

Quæritur I. An recte ſe gerat Hermenegildus, iterum baptizans ſub conditione quoſcunque jam ab aliis privatim baptizatos, præſertim ab obſtetricibus; & quodnam onus in-

incumbat Parochis docendi obſtetrices admi-niſtrationem baptiſmatis.

II. An licite baptizaverit ſub conditione puerulum expoſitum cum ſchedula; & quo-nam caſu non debeat amplius talibus puerulis neque ſub conditione conferri baptiſma.

III. An, quamvis rebaptizaverit ſub con-ditione, incurrerit tamen irregularitatem ob iterationem baptiſmi; & iſtane irregularitas nedum aſcenſum impediat ad ordines ſupe-riores, ſed exercitium quoque ordinum ſu-ſceptorum.

DECISIO.

QUoniam trina quæſtio in duas quælibet dividitur, bipartita unicuique reſponſio eſt aſſignanda. Ad primam itaque, quod atti-net ad primam partem, reſpondeo, Herme-negildum Parochum baptizantem indiſcrimi-natim omnes infantes jam domi ab obſtetrici-bus, aut aliis privatim baptizatos male ſe ge-rere, & graviter peccare, quamvis ſub condi-tione baptizet. Ratio eſt, quia antequam ſub iſta conditione quis baptizetur, diligenter inveſtigandum eſt, an rite fuerit baptizatus; & ſi de validitate baptiſmi nulla ſaltem mora-lis dubitatio relinquatur, neutiquam rebapti-zandus eſt, neque ſub præfata formula con-ditionali, quæ unice adhibenda eſt, quando, debita præmiſſa diligentia, adhuc ſubeſt circa

validitatem baptiſmi dubium rationabile, & cordato viro dignum, de quo dubio loquitur Alexander III. *in Cap. De quibus dubium eſt de baptiſm.*; & ita cum reliquis docent Salmanticenſes *tom.* 1. *tract.* 2. *de baptiſm. pœnit.* 4. *n.* 55., *Rot. in* 4. *diſtinct.* 3. *q. unica art.* 9. §. *Circa hanc ſolutionem*, Eſtius *in* 4. *diſtinct.* 2. §. 13., Catechiſm. Rom. *p.* 2. *de Sacram. Bapt. n.* 57., Rit. Rom. §. *De Forma Baptiſmi*, & *tit. de Baptiſm. adult. prope fin.*, Concil. Mediol. V. *ſub S. Carolo p.* 1. *tit. Quæ ad baptiſmum pertinent* §. *Parochus*, Natal. Alex. *theol. dogm. mor. de Sacram. Baptiſmi cap.* 8. *propoſ.* 7. *reg.* 5. Synodi Januenſes variæ ſignanter ſub Eminent. Stephano Duratio *cap.* 16. *de Sacram. Baptiſm.*, & ſub Cypriano Pallavicino, quæ eſt Synodus Provincialis, *tit. de Baptiſm.* Joſeph Maria de Saporitis in ſua Notificativa Inſtructione ad Parochos pro recta hujus Sacramenti adminiſtratione typis edita *anno* 1756. §. 7. *Del Miniſtro del Batteſimo pag.*73. *Cap. Qualora cum ſeqq.*

Cum itaque Hermenegildus in re tanti momenti non præmittat eam diligentiam, quam Concilia, Catechiſmus, Rituale, noſtræque Synodi evidenter præſcribunt, patet maniſeſte, imprudenter & reprehenſibiliter ſe gerere ſine delectu, indiſcriminatim ex more baptizando ſub allata conditione puerulos domi jam præſertim ab obſtetricibus baptizatos; quod quidem Parochi *ſine ſacrilegio*

gio facere non poſſunt, *& eam maculam ſuſcipiunt*, *quam divinarum rerum Scriptores irregularitatem vocant*. Verba ſunt Catechiſmi Romani *cit. num. 57.*

Quoad ſecundam partem reſpondendum, onus graviſſimum incumbere Parochis docendi obſtetrices ea omnia, quæ ad rectam Sacramenti baptiſmatis adminiſtrationem ſunt neceſſaria. Hoc onus eruitur in primis a ſupra laudato Rituali Romano *in §. de Miniſtro Baptiſmi : Curare debet Parochus*, *ut fideles*, *præſertim obſtetrices*, *recte baptizandi ritum probe teneant*, *& ſervent*; quæ ſane verba per tò *debet* non ſimplicem admonitionem, ſed verum continent præceptum. Eruitur etiam ex IV. Concilio Provinciali S. Caroli, quod habetur in actis Eccleſiæ Mediolanenſis *tom. 1. p. 178. Lugdunenſis editionis*, ex Inſtit. 8. Benedicti XIV., ex Synodo Januenſi Cardinalis Duratii *loc. cit.*, & ex laudata Inſtructione Joſephi Mariæ de Saporitis *dict. §. 7. pag. 66. Cap. Favellando*. Quod ſi in hoc munere exequendo plus æquo fuerint Parochi negligentiores, quomodo a reatu gravis peccati ſe excuſabunt?

Ad ſecundam quæſtionem relate ad primam partem, dico licite baptizatum fuiſſe puerum expoſitum cum ſimplici ſchedula collo appenſa, atteſtante de collato baptiſmate; nulla enim fides adhibenda eſt ſcripturæ privatæ, & alio non apparente probabili funda-

mento circa validitatem baptiſmi, adhibenda eſt formula conditionata quoad pueros expoſitos etiam cum ſchedula ſupra tradita: ratio eſt, quia talis ſchedula non tollit dubium morale collati, vel non collati, bene, vel male adminiſtrati baptiſmatis; quo dubio perſeverante ſemper recurrendum eſt ad præfatam formulam conditionalem, cujus ope ſubvenitur graviſſimæ, & ſpirituali proximi neceſſitati, & nulla irrogatur injuria, ſeu irreverentia Sacramento, quod tali pacto non ſubjacet periculo reiterationis. Videndi ſunt ad hanc rem Sacri Canones, & in ſpecie *Can. Parvulos*, *& Cap. Placuit de conſecrat. diſtinct.* 4.: videnda Synodus *tertia Diœceſana S. Caroli Decret. XI.*: videndum Rit. Rom. *in tit. de Bapt. parvul.*

Sed hæc concluſio non indiget ulteriori diſcuſſione, cum tota jam controverſia a S. Congregatione Concilii pluries fuerit eliquata, ſcilicet *in Neapolitana Matrimonii* 1. *Septemb.* 1714., quæ eſt in *tom.* 2. *Theſaur. reſol. Sacr. Congreg. Concilii pag.* 412., & in alia *diei* 15. *Jan* 1724., in qua propoſito dubio: *quomodo ſe gerere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione baptiſmatis infantibus, qui ad Archihoſpitale deferuntur, ſive iidem habeant ſchedulam de baptiſmo teſtantem, ſive non; & etiam ſi ex colore, & ceteris corporis partibus deprehendatur, eoſdem eſſe conſtitutos in ætate ſex, aut decem menſium, vel unius anni cum dimidio*, eadem Sacra

cra Congregatio reſpondit, *eſſe baptizandos ſub conditione in omnibus caſibus, excepto tamen caſu ſchedulæ, quæ habeat certitudinem*: & hæc deciſio eſt in *tertio ejuſd. Theſauri libro pag.* 2.

Ex poſtrema hac Deciſione palam fit, quonam caſu non debeat amplius talibus puerulis expoſitis neque ſub conditione conferri baptiſma, quod alteram quæſiti partem efformat; nempe eo tantum caſu, quo ſchedula de collato atteſtans Sacramento talis ſit, ut ſecum afferat rei rite peractæ certitudinem moralem, quæ etiam per unicum teſtem, præcipue ſi is atteſtetur de facto proprio, hoc eſt ſi affirmet Sacramentum a ſe legitime adminiſtratum fuiſſe, haberi poteſt, uti diſerte ſancitur *in Can.* 110., *& Can.* 112. *diſtinct.* 4. *de Conſecr.*, *& cap. Nuper de teſtibus*, ubi interpretes omnes, quos ſequitur Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 7. *cap.* 6. §. 4 *in fin.*

Ad primam partem tertiæ quæſtionis, an ſcilicet conditionate rebaptizans eam irregularitatem incurrat, quæ ex baptiſmi iteratione contrahitur, affirmative eſt reſpondendum. Licet enim in hac quæſtione magna ſit Doctorum contentio, cum alii affirmativam, alii negativam opinionem tueantur; communior tamen, & verior Theologorum, atque Canoniſtarum opinio eſt affirmativa, quæ innititur tum temeritati actus; tum quia conditio in hoc caſu adhibita non removet conſenſum ab

actu,ſeu, ut ajunt, eſt proteſtatio contra factum; tum quia irregularitas oriens ex iteratione baptiſmi infligitur ex delicto: at qui ſine probabili dubio valide collati baptiſmatis puerum etiam conditionate baptizat, vere delinquit; ergo dictam irregularitatem incurrit. Porro hanc opinionem poſt Theſaur. *in tract. de pœnis Eccleſ. part. 2. cap. 1.*, & Barboſam *in Decr. lib. 3. tit. 42. de Baptiſmo, & ejus effect. cap. de quibus n. 3.*, alioſque ſtrenue defendit Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 7. d. cap. 6. §. 3, & in Inſtit. Eccleſ.* 84. Nec ab hucuſque deciſis removere quempiam debent ea, quæ infarſit Collet in ſuo opuſculo *De' doveri d' un Parroco cap. 6. § 1. n. 17.*

Denique ad ſecundam partem jam memoratæ tertiæ quæſtionis reſpondendum, irregularitatem iſtam, quæ ob iterationem baptiſmi caute minus, ac temere collati incurritur, nedum aſcenſum impedire ad ordines ſuperiores, ſed exercitium quoque ordinum ſuſceptorum. Quandoquidem Catechiſmus Romanus *loc. cit.* de Presbyteris, & Parochis verba facit: de iſtis etiam locutus eſt S. Carolus Borromæus in *III. Mediolanenſi Synodo*, ubi quemcumque etiam ſub conditione temere rebaptizantem irregularem declarat. Sacerdotes autem, & Parochi alium non habent Ordinem, ad quem poſſint aſcendere; ideoque ſi per Canonum Decreta hanc, quam ex de-

licto vocant, irregularitatem incurrunt propter baptiſmi reiterationem, irregularitas iſta alia eſſe non poteſt niſi impediens ſuſceptorum Ordinum exercitium. Rem conficit bon. mem. D. Altovitus Doctiſſimus S. C. C. Secretarius in una *Tudertina Baptiſmi*, *ſeu Irregularitatis 17. Novembris 1685.* in ſuo, quod expoſuit, Voto ſcribens: *Siquidem Synodus Mediolanenſis*, (adde etiam Genuenſis ſub Eminentiſ. Duratio) *& Catechiſmus Romanus, quorum maxima eſt auctoritas, & ceteris præferenda, loquuntur expreſſe de Sacerdotibus, & Parochis rebaptizantibus ſub conditione: unde irregularitas, quæ inibi ſtatuitur, & reſpective præſupponitur adverſus dictos Sacerdotes, & Parochos, neceſſario intelligenda eſt de impediente exercitium Ordinum ſuſceptorum, cum non detur alius Ordo Sacer, ad quem Sacerdos, & regulariter Parochi aſcendere poſſint*. Huic opinioni adhæret etiam Benedictus XIV. in laudata *Inſtit. Eccleſ. 84. num. 18.*

Mense Majo.

Certo novit Florinda, poſt aliquot annos vitæ conjugalis, virum ſuum obſtrictum eſſe voto caſtitatis, adeoque peccare timet, ſi reddat debitum.

Quæritur I. Quid Florindæ liceat in tali caſu.

II.

II. An Florinda poſſit licite reddere debitum viro ſuo petenti, quando ſciret hunc contraxiſſe affinitatem ſecum, eo quod perſonam ejus conſanguineam cognoverit?

III. An Florinda poſſit licite reddere viro ſuo petenti ſerio, & inſtanter debitum, etiamſi ſciat eum petere ob malum finem.

DECISIO.

TEneri conjuges ſub gravi reddere ſibi invicem conjugale debitum rationabiliter petitum, & jus naturale evincit, & auctoritas ipſa divina confirmat. Primarius namque matrimonii finis eſt prolis generatio, quæ independenter a præciſa reddendi debiti obligarione ſubſiſtere non poteſt; cumque ex vi præſtiti contractus vir, & fœmina transferant in ſe mutuo poteſtatem corporum in ordine ad copulam, aliter agendo, contra jus alteri ſtricto jure conceſſum ageretur. Unde Apoſtolus *I. Corinth.* 7. diſertis verbis præceptum iſtud inſinuat dicens: *Vir uxori debitum reddat, & uxor viro. Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis Orationi.*

Non diffitendum eſt tamen plures adeſſe circunſtantias a Theologis communiter approbatas, in quibus debiti hujuſce petitio non in ſe inſpecta, ſed relate ad perſonam exi-

exigentem poteſt eſſe culpabilis, injuſtæque exactionis, prout loquitur S. Thomas *q. 64. ſupplem. art.* 1. *ad* 2., rationem induere; varias inſuper cauſſas eſſe a debiti redditione merito excuſantes, immo ipſam quandoque illicitam reddentes: caute tamen procedendum eſt tum in hiſce cauſſis excuſantibus admittendis, tum in proclamanda velut illicita debiti conjugalis redditione. Unde S. Hieronymus, vel quicunque ſit Auctor *Ep.* 14. ad Cælantiam Matronam *de inſtitut. Matrisfamil.*, graviſſimis hiſce verbis monet: *Multa per hujuſcemodi ignorantiam & audivimus, & vidimus ſciſſa conjugia, quodque recordari piget, occaſione caſtitatis adulterium perpetratum. Nam dum una pars ſe etiam a licitis abſtinet, altera ad illicita delapſa eſt. Et neſcio in tali caſu quis magis accuſari, quis amplius culpari debeat, utrum ille, qui repulſus a conjuge fornicatur, an illa quæ repellendo a ſe virum, eum fornicationi quodammodo objicit?*

Ut certa igitur ab incertis ſecernantur, ſtatuendum eſt I., illicitam prorſus eſſe, & injuſtam ex parte viri in circunſtantia affinitatis debiti petitionem, cum jus petendi amiſerit, quod ante habebat; in caſu vero vel voti, vel mali finis, licet etiam illicita ſit petitio, non ea tamen de cauſſa, quod jus ſuum abſolute loquendo amiſerit, ſed quia contra votum, & contra rectam agendi me-

metam delinquit, Florindam pariter ex vi juſtitiæ coarctari non poſſe ad redditionem, ſi ille petat, cui jus exigendi non ſuppetit; idipſum tamen non æqualiter dicendum eſſet in caſu illicitæ ſolum petitionis. Utrum autem poſſit ipſa debitum licite reddere, & proinde abſque culpæ incurrendæ timore, illud eſt, quod ad præſentis caſus ſolutionem remanet dilucidandum.

Me non latet, aliquos eſſe non inferioris ſubſellii Theologos autumantes, illicitum prorſus eſſe Florindæ, in caſu affinitatis præſertim, & voti conjugale debitum reddere viro petenti; immo cum vir lethaliter delinquat exigendo, uxorem etiam peccare reddendo tum ob cooperationem, quam præſtat ad mariti peccatum, tum quia agentes & conſentientes in crimine pari pœna puniri debeant. Sicut enim, ajunt, debitum iſtud cum notabili proprio, aut prolis damno petitum reddi non debet, ita a fortiori, cum poſcitur cum ſpirituali animæ detrimento. Verum, his non obſtantibus, ad quæſitum reſpondeo, Florindam graviter non delinquere, & proinde licite poſſe viro ſuo vel inceſtuoſo, vel voto caſtitatis ligato, vel ob malum finem petenti debitum reddere.

Et ſane cum Florinda nullo delicto, aut voto ſe obſtrinxerit, non conſtat, qua lege

lege aut titulo ob votum, & delictum alterius, quæ unice ſuum auctorem afficere debent, jure & poſſeſſione petendi, & reddendi, quam habet, poſſit ſine cauſſa privari. Id evincitur ex *Cap. Tranſmiſſæ*, & *Cap. Tuæ de eo qui cognovit conſang.*, ubi deciditur, inceſtuoſum cum conſanguinea alterius conjugis non poſſe petere, ac teneri reddere; & ſubditur hæc ratio: *Quia affinitas poſt matrimonium contracta ei conjugi officere non debet, quæ iniquitatis particeps non fuit, nec ſuo jure debet abſque ſua culpa privari*. Porro & plurimum officeret, & proprio jure abſque ſua culpa privaretur, ſi innocens peccaret reddendo; privaretur enim plena illa poſſeſſione, qua, ſecluſo voto, & delicto alterius gaudebat, ipſique contra verecundiam mulieribus inſitam neceſſarium foret ſemper petere, ut matrimonio uti poſſet abſque peccato: quo in caſu quot ſcrupulis timoratæ conſcientiæ mulier vexata foret, vel in determinando, utrum petitio fuerit, an redditio, dum ad mariti voluntatem quoquo modo intellectam quandoque inclinavit, vel in iis præcavendis circunſtantiis, in quibus majus malum fas eſt evitare. Non ergo redditio ex parte Florindæ debet ſtatim illicita proclamari. Immo cum timere debeat viri indignationem, cum ſerio & inſtanter petit, & forte incontinentiam, ſi concupi-

cupiſcentiæ ejus jam excitatæ non obſequatur, nedum pro debiti redditione culpanda non erit, ſed potius pro ejuſdem negatione argueretur. Idipſum de viro exigente ob malum finem dicendum eſt. Prava enim illa circunſtantia ex parte ſolius petentis ſe tenens non inficit actum ipſum reddentis debitum ex juſtitia, ut docet D. Auguſtinus *de bono conjug. cap. 7.* his verbis: *Reddere debitum coniugale nullius eſt criminis; exigere autem ultra generandi neceſſitatem culpæ venialis.* Quod ſi hujuſmodi finis talis ſit, ut ipſum opus deteſtabili aliquo ſcelere inficiat, prout de Her, & Onan Judæ Patriarchæ filiis legitur *Gen. 38.*, hoc in caſu aliter differendum eſſe, merito evincunt Theologi.

Nec quidquam movere debent, quæ in contrarium adducuntur, rationes. Reddens enim debitum non cooperatur *formaliter* peccato exigentis, ſed actui ex natura ſua licito conjugatis, cujus poſſeſſionem per culpam alterius non amiſit. Neque enim vel *directa* evinci poteſt cooperatio, vel *indirecta*. Non primum, ſupponitur namque Florindam nullatenus incitaſſe virum, ut petat: nec ſecundum, cum id unice ipſa præſtet, ad quod aliunde ex lege juſtitiæ tenetur, nec ad actum in ſe malum concurrit; aliter ſi in ſe malus foret, nec pars innocens petere poſſet, ne actus in ſe malus compleatur. Patet ergo diſcri-

diſcrimen de eo, qui petit cum manifeſto reddentis, aut prolis corporali detrimento; compleretur enim hoc in caſu actus in ſe *formaliter* malus, quia in damnum tertii, ad cujus bonum actus ipſe ex natura ſua ordinatus eſt; unde eo ipſo nedum petitio, ſed redditio etiam illicita remaneret. Vide Bonacina *de Sacram. matr. qu. 4. punct.* 3.

Pro limitatione tamen ſuperioris doctrinæ addendum eſt, quod ſi procul abſint odii, indignationis, & incontinentiæ pericula, poterit quidem innocens conjux efficacibus verbis ab eo actu avertere peccantem mortaliter in petitione, aut aliter ipſi conſulere; immo ſi reſipiſcentiæ ſpes aliqua affulgeret, ad id teneretur etiam ex vi præcepti correctionis fraternæ; lex ſiquidem Charitatis obligat ad retrahendum proximum a peccato, ubi commode fieri poteſt. Ceterum monitionibus non acquieſcente Florindæ viro, poterit ipſa licite, & abſque culpa debitum reddere non obſtante quod petens & ob votum caſtitatis, & propter affinitatem, aut malum finem culpabiliter petat.

Menſe junio.

Trebonius per plures annos ſemper in Paſchate ſacrilegam ſumpſit communionem.

Quæ-

Quærit. I. An teneatur quamprimum communicare; & toties, quoties id ſacrilege peregit.

II. An obligetur denuo in propria Parochia recipere communionem.

III. An pœnæ inflictæ a *Cap. Omnis utriuſque ſexus* ſint omnes ferendæ ſententiæ.

DECISIO.

AD I. compertum opinor ſanæ mentis Theologis, exploratumque, Trebonium, qui ſacrilege ad indictam in Paſchate communionem per plures annos ſe contulit, ejuſmodi nunquam præcepto feciſſe ſatis. Proſcripta nimirum, pœniſque graviſſimis a Ven. Mem. Innocentio XI. jamdudum damnata ea laxiorum Caſuiſtarum propoſitio: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Ac ſane cum Chriſtus Jeſus verbis in ultima cœna prolatis. *Hoc facite in meam commemorationem*, ſuum Corpus, & Sanguinem quibuslibet adultæ ætatis Fidelibus ſumendum mandavit, uti luculenter inter alios tradit Ang. noſter Doctor *3. par. ſum. quæſt. 80. art. 11.*, id ita fieri procul dubio voluit, ut propter ipſum inde nos viveremus; ut ipſe in nobis maneret, noſque in ipſo, pignuſque conſequeremur indeficiens perennis

nis ſuæ gloriæ. Cum poſtea Sancta Mater Eccleſia in prælaudato Later. Conc. *cap. Omnis utriuſque &c.* certam temporis determinationem huic menſæ divino Chriſti præcepto aliquoties in vita deguſtandæ conſtituit, videlicet *ad minus ſemel in annum*, ac recurrentibus Paſſionis, & Reſurrectionis Redemptoris noſtri ſolemniis; actum profecto Religionis, & quidem maximum tunc præcipere intendit, *reverenter* propterea, ut ipſa ſe ſe expreſſit, exequendum, poſt expiatas ſacramentali confeſſione culpas, congruaque cum animi præparatione, ac munditie. At longiſſime ab his aberraſſe Trebonium, quoties ad myſticum Agnum in Paſchate edendum ſacrilege acceſſit, nemo unus non videt.

Obſtringitur itaque pluries violato a ſe præcepto, pie ſancteque intra eum, quem agit, annum communicando parere; tametſi dierum ſpatium communioni paſchali lege eccleſiaſtica præfinitum jam exceſſerit. Temporis etenim hujuſmodi deſignatio non eo ſane fine ab Eccleſia indicta fuit, ut illo ſcilicet elapſo, & onus præcepti adimplendi evanuiſſe intelligatur: quemadmodum in iis contingit, quæ penſum diei nuncupantur, & in quibus tota ratio obligandi præſtituta dies eſt; uti hac die hujuſce officii recitatio, jejunium vigiliæ, Miſſæ auditio diebus feſtivis &c.: bene vero ut ejuſdem præcepti implementum

P diutius

diutius quiſpiam pro ſuo arbitrio protrahere non audeat.

Haud arbitror tamen, eum ad communicandum tam arcte obligari, ut hoc quamprimum, aut, quod in idem relabitur, prima data opportunitate non exequens, novo crimine gravetur. Nam *ſi verum hoc eſſet* (inquit ad rem noſtram S. Antoninus 2. *par. Sum. Theol. tit. & cap. 9. q. 3.*) *cum quotidie obligetur, quoaduſque ſuppleat, multa peccata committeret contra unum præceptum, & ſic Eccleſia laqueos injiceret animabus*. Quod quam abſonum, abſurdumque ſit, nitidiſſime liquet. Prætergreſſis nimirum paſchalibus diebus, alia Trebonium non urget lex, niſi de communione intra annum decurrentem peragenda; ſi ergo ſincero animo deliberet, caveatque, ne ſua ſocordia, aut malitia ejuſdem anni fines elabantur, quin ad ſacram Synaxim religioſe ſuſcipiendam acceſſerit, nullius conſcius inobedientiæ, nullius criminis reus judicandus videbitur.

Nec certe ſentio, eumdem Trebonium ad meliora, Deo adſpirante, vocatum tot vicibus teneri debite, ac rite communicare, quot ſacrilege ſe id egiſſe meminerit. Si id quidem ex animo, ſuaque ſponte fecerit, optimum erit, ac maxime probandum juxta illud S. Iſidori *de Eccl. off.* effatum: *Qui peccare jam quievit, communicare non deſinat*. Abſit

vero

vero, ut ad hoc peragendum a prudenti Confeſſario ſub lethali reatu obſtringatur. Omiſſa quippe paſchalis temporis deſignatione, unum illud Eccleſia in ejuſmodi lege cuicunque Fideli utriuſque ſexus injunxit, ut *ſemel ſaltem in anno* particeps fiat congrua fide, ac devotione ſacroſancti convivii. Nova igitur Trebonius culpa nequaquam illigabitur; ſi de pluries admiſſis ſacrilegiis, ſuiſque quibuslibet delictis ſincere dolens, unam tantum intra annum, quem agit, communionem ſuſcipiat. Do utique, retroactis annis, quoties ad aram indignus acceſſit, eum toties Eccleſiæ præceptum violaſſe, graviſſimaſque intuliſſe Chriſti Corpori injurias; una tamen ſed pie, ſed religioſe ſumpta communione mala hæc univerſa delebit; quemadmodum unica cum vero cordis dolore, ac propoſito emiſſa confeſſione omnium antea male actarum confeſſionum defectus reparari, ne uni quidem in dubium cadit.

Ad II. Tametſi laudabiliter, piiſſimeque ageret Trebonius, ſi ad Parochialem ſuam Eccleſiam accederet, ut quo decet, tandem affectu, ac reverentia ibi legi obediat, ubi eamdem ſacrilegiis repetitis eludere auſus eſt; nihilominus ipſum ad hoc obligari non dixerim diebus jam revolutis pro communione paſchali: hæc namque loci, ſeu propriæ quorumvis Fidelium Parochiæ determinatio ad exteriorem dumta-

xat Eccleſiæ politiam videtur pertinere, neque alia de cauſſa præcepto de annua communione adjecta, quam ut Paſtores certis animabus curandis deſignati, ſinguli, quoad fieri poteſt, oves ſibi concreditas agnoſcant, & Pane de Cœlo præſtito alere ſtudeant quotannis ad minus in Paſchate. At nihil adverſus illam commiſit Trebonius, ex quo in propria Parochia ad Chriſti Corpus & Sanguinem impie ac ſacrilege acceſſerit; nam reapſe accepit: accepit in omnium conſpectu, itemque tempore præfinito. Mandatum autem mere externum exteriori obedientiæ actu ſufficienter impleri nemo eſt, qui inficietur.

Non me latet vetuſtus æque ac probatiſſimus Eccleſiæ ritus, quo eos ad propriam compellere ſolet Parochiam, minis etiam, pænisque rigidioribus adhibitis, quos notum fuerit, evulgatumque, vel ab annua ibidem ſumenda Communione paſchali abſtinuiſſe, vel jocoſe, ac irriſorie execrabili impudentia communicaſſe. At quorſum hæc? ut ſcandalo ſcilicet conſulatur utrinque illato, & publicum delictum publica deleatur, ut par eſt, pœnitentia. Haud ergo ulla ratione ad id cogendus Trebonius, qui quamquam per plures annos ſacrilegæ reus communionis, publice tamen deliquiſſe nunquam convictus eſt, neque ullam unquam ceteris fidelibus occaſionem præbuit, qua ſcandalo afficerentur.

Ad

Ad III. Duas adverſus non communicantes in *Can. Omnis utriuſque &c.* pœnas Later. Conc. hiſce verbis conſtituit: *Alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Quod ad priorem attinet, vix unum reperies, aut alterum, qui eamdem non ferendæ tantum, ſed latæ ſententiæ cenſuram credat; deſunt ſiquidem in ejuſdem expoſitione formulæ illæ *ipſo facto*, *ipſo jure*, aliæve id genus, quæ in cenſuris latæ ſententiæ exprimendis uſurpari ſolent; ac verbum, quod inibi adhibetur, tempus futurum indicat; modusque imperativus eſt, quo Judicis exigitur actio, ſeu ab ipſo pronuntianda ſententia citra dubium ſignatur. Quapropter Synodus Carnotenſis (ut de aliis ſileam) *an.* 1526. congregata memoratam Later. Conc. ſanctionem inculcans, atque innovans, *Qui hujuſmodi* inquit, *Eccleſiæ præcepti contemptores effecti, idem ſaluberrimum quotannis, legitimo ceſſante impedimento, non receperint Sacramentum, ab Eccleſia expellendi ſunt*: & S. Carolus in inſtructione ad Parochos *de Sacr. Euch.* in ſuo I. Conc. Prov.: *Qui præſtituto Paſchæ tempore non communicaverint, eos ex præſcripta formula ad Altare altero ex diebus feſtis Paſchæ proxime ſequentibus monebit, & in contumacia perſeverantes ad Archiepiſcopale forum deferet*; at non alio ſane motivo, niſi ut hi inobedientes

dientes, ac pervicaces, tunc lata contra eos Archiepiſcopali auctoritate ſententia, viventes ab ingreſſu in Eccleſiam excluſi ſint, & habeantur. Si unice itaque Later. Conſtitutio attendatur, prior in Paſchate non communicantium pœna ferendæ ſolummodo ſententiæ cenſenda eſt.

Neque vero ſeveriorem putaverim alteram, privationis videlicet ſepulturæ eccleſiaſticæ; quamquam Auctores non pauci in oppoſitam partem abierint. Etenim duæ hæ pœnæ ſibi invicem correferri, ac tam arcte vi præſertim illius particulæ & cohærere videntur, ut in unum propemodum coaleſcant: conſequenter quod de prima judicium, idem de ſecunda ferendum eſt; ac ſi anxia adhuc, & in ancipiti mens hæreat, præ oculis habenda juris regula *num. 45.*, quod *in pœnis* nimirum *benignior interpretatio facienda eſt*. Hinc S. Cong. Conc. Trid. Interp. *in Cajet. 24. Junii 1595.* reſpondit, eum, qui in Paſchate communicare neglexerit, nequaquam chriſtiana ſepultura privari oportere, ſi ante interdicti a Lat. Can. inflicti declarationem e vivis decedere contigerit. Et in vivum ergo, & in morientem Paſchalis præcepti infractorem conſtituta in hoc capite pœna ferendæ verius, quam latæ ſententiæ affirmari debet.

MEN-

MENSE JULIO.

DEnegata abſolutione, receſſit Petrus Confeſſarius a moribundo publico Clerici percuſſore, eo quod jurare nollet de ſatisfactione præſtanda Clerico percuſſo. Mox reverſus, eumque credens ſenſibus deſtitutum, & tunc morientem abſolvit a peccatis, & cenſuris.

Quæritur I. An abſolutio ſit valida ex parte moribundi, & licita ex parte Confeſſarii.

II. An ſi convaleſcat, nolletque implere, quod non juraverat, reincidat in excommunicationem.

DECISIO.

AD I. Ab excommunicatione, quam incurrit publicus Clerici percuſſor, ſolus Romanus Pontifex ordinarie poteſt abſolvere, ut ex Clementina *Siquis ſuadente de pœnis*. Excipiuntur tamen caſus in jure expreſſi, in quibus & Epiſcopi, & quicunque Sacerdotes abſolvere poſſunt, ut contingit in propoſito caſu, in quo quilibet Sacerdos poteſt moribundo abſolutionis beneficium impertiri: *Trid. ſeſſ 14. cap. 7. de Pœnit.* Abſolutioni tamen ab excommunicatione, ſi injuriam parti intulerit, debet reus ſatisfactionem præmittere; & ſi tunc ſatisfacere non poſſit, non abſolvatur, niſi ſaltem juret ſe ſatisfacturum:

Joſeph Maria de Saporitis *in Inſtruct. Paſtor. noviſſimæ editionis pag. 167.* Quod ſi Confeſſarius reum abſolvat ante præſtitam ſatisfactionem parti læſæ, vel ante præſtitum juramentum de ſatisfaciendo, illicitam hanc abſolutionem, validam tamen dicit Monacellus *in formul. leg. pract.* in præludio *par. 3. n. 77.*, cui adhæret Ferraris in ſua *Biblioth. verb.* Excommunicatio *art. 7. n. 26.;* ad quem numerum notat Romanus Theologus, aliquando invalidam pariter eſſe talem abſolutionem. In noſtro autem caſu Petrus Confeſſarius reo negavit abſolutionem, quando ipſe jurare nolebat de ſatisfactione præſtanda; abſolvit, quando impotens erat ad ſatisfaciendum, & ad jurandum: negavit; quis enim dicat ſufficienter diſpoſitum moribundum, quum juramenti obligationi non acquieſcit? abſolvit, quando impotens erat ad promittendum. Porro conditionata abſolutionis forma neceſſarium moribundis auxilium non ſubtrahitur, & debitæ Sacramento conſulitur reverentiæ: & quiſque ex lege charitatis tenetur proximo in extremo periculo ſubvenire meliori modo, quo poteſt, afferendo ſaltem opem dubiam, quæ melior eſt nulla, ſi certam afferre nequeat. Quod conditionate, uti oportebat in hoc caſu, abſolverit Petrus, non dicitur in ipſo caſu, quia forte conditionem mente retinuit. Itaque abſolutio hæc conditionata licita

cita fuit ex parte Confeſſarii, & potuit eſſe valida ex parte moribundi.

II. Facile ſolvitur, ſi conſulatur *Caput* 22. *de ſent. excom. in 6.*, ubi ſic: *Eos, qui a ſententia canonis... propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum ab alio abſolvuntur, ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento hujuſmodi ſe illi, a quo his ceſſantibus abſolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempſerint præſentare.... decernimus, ne ſic cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ, in eamdem ſententiam recidere ipſo jure. Idem ſtatuimus de his, quibus... injungitur, ut... paſſis injuriam, ſeu his, quibus propter hoc obligati exiſtunt, ſatisfactionem exhibeant competentem, ſi hæc, quum primum commode poterunt, non curaverint adimplere*. Hoc ipſum renovatur in *Clement. Siquis ſuadente de pœnis §. ultimo*. Ferraris in ſua *Biblioth. ver.* Excommunicatio *art. 7. n. 25.* fatetur, neminem eſſe abſolvendum a majori excommunicatione, niſi parti læſæ ſatisfecerit, vel in caſu impotentiæ juraverit de ſatisfactione præſtanda: *Si autem*, ſubdit ibidem, *ita abſolutus poſtea ſatisfacere negligat, non reincidit in priorem excommunicationem*; quam ſententiam iiſdem conceptam verbis exſcripſit ex Monacello *formul. legal. pract. part.* 3. in præludio *n.* 76. qui adducit ad id probandum *Caput 8. de offic. judic. ordin.*, *& ex ſupra cit. Cap.* 22. *de ſentent. excomm. in 6.* duntaxat inferri ſcribit ibidem *num. 38.*

num. 83., quod abſolutus ab excommunicatione a non habente poteſtatem cum onere, ut ceſſante impedimento ſe præſentet Superiori, reincidat in excommunicationem poſtea ſe non præſentando. Verum in dicto *Cap.* 22. de præſentatione, & de ſatisfactione diſponitur. Juvat audire clariſſimum Berardi in *comment. in jus Eccl. tom.* 4. *par.* 2. *diſſ.* 3. *cap.* 11.: *Apud veteres non ſatis conſtat, quibuſnam pœnis afficiendus eſſet ille . qui poſt obtentam abſolutionem, neglecta ſponſione ſua, minime ſatisfeciſſet. Primum Innocentius III. in Cap.* 8. *de offic. jud. ordin.* (en caput adductum a Monacello) *ſtatuit.... Hodie vero poſt Conſtitutionem Bonifacii VIII. in Cap.* 22. *de ſentent. excomm. in* 6. *qui non ſatisfecit*, & *fidem datam de ſatisfaciendo fefellit, jure ipſo in cenſuram reincidit.*

In propoſito tamen caſu moribundus nec jurato promiſit, ſe præſentaturum Superiori, nec ſe ſatisfacturum parti læſæ; ergo non tenebitur implere, quod non novit, & in excommunicationem non reincidet? Etiamſi Confeſſarius eam obligationem non præcipiat, & id ex ignorantia, aut oblivione, aut malitia Confeſſarii procedat; ſemper tamen tenetur abſolutus, quando potuerit, ſe præſentare, quia talis obligatio non ex voluntate Confeſſarii, ſed ex jure pendet; & ſi data opportunitate ſe præſentare omittat, in excom-

communicationem reincidet: *Salmanticenſes de cenſuris tract. 10. cap. 2. puncto 4. n. 46.* Quid vero quod Petrus Confeſſarius nec ex oblivione, nec ex ignorantia, nec ex malitia hanc obligationem imponere prætermiſit infirmo; imo quia ipſe de hac præſtanda jurare recuſabat, abſolutionem Petrus denegavit, hanc inde moribundo conceſſit ſub conditione; ſed ab intentione ipſam obligationem imponendi non receſſit, ratus infirmum chriſtiane velle decedere, & quum agendæ pœnitentiæ ſaltem breve tempus habuerit, voluntatem mutaſſe? Quis enim novit, utrum fortaſſis voluntatem non jurandi uſque ad mortis periculum, quod forte prius non agnovit infirmus, ſtatuerit detinere? Si ergo convaleſcat, & non ſatisfaciat, in excommunicationem reincidet.

Menſe Auguſto.

Lucius Clericus obſervans puſtulas, vulgo *Vajuolo*, in puerulis eſſe mitiſſimas, voluit, ut arte medica in ſanguine nepotis ſui Lelii, cujus curam gerebat, infererentur, ſed Lelius, contracto morbo, eoque ſæviente, contra Lucii expectationem interiit.

Quæritur, An Lucius peccaverit, & ſit irregularis.

DECISIO.

UT pernicioſiſſimo Variolarum malo occurrerent Medici, mirabilis earum *Tranſplantationis* inventio ab iiſdem facta eſt, cujus deinceps, & quidem Doctiſſimis illorum, accuratiſſima experimenta magna cum laude ſunt tribuenda. Quæ ſane & iterato apud Idololatras, & Schiſmaticos ſumma providentia diutius fieri permiſit Deus, ut tandem ad dilectiſſimum Gregem ſuum probatiſſima devenirent; id quod eventus apud ipſum feliciſſimus quotidie teſtatus eſt. Quæ omnia ſinceris, accuratiſque commentariis edidere cordati Viri Philoſophia, & Medica arte commendatiſſimi, qui in hac operatione omnia circunſpexerunt, omnia ſunt periclitati, ita ut prorſus exoculatos eſſe oporteat, qui refragentur. Non defuere tamen tum Medici, tum Theologi, qui graviter adverſus illos inclamarunt, velut anilis cujuſdam, crudeliſque tentaminis dementatos auctores, & phræneticos fautores. Quinimo eo pervenit delirantis turbæ Presbyterianorum, referente Pſeudo-Epiſcopo Wirgonienſi in Anglia, conclamatio, ut jactitarent inoculationem a Diabolo eſſe inventam, eaque uſum fuiſſe, ut Sancti Job totum corpus peſſima contagione inficeret. Ab hac celeber-

leberrima quæſtione pendet primæ partis quæſiti reſolutio. Itaque ego ſic ſtatuo, Variolarum inſitionem legi naturæ, divinæque nullatenus repugnare, dummodo præcautionibus debitis, atque ab inſtructiſſimis Medicis, ac peritiſſimis Inoculatoribus peragatur. Quod ut conficiam, ea omnia refricare, quæ a laudatis doctiſſimis Viris operoſe nimis, atque eruditiſſime tractata ſunt, quorum ſcripta facile quis poterit conſulere, inutile prorſus exiſtimaverim. Quæ vero theologica ſunt, breviter attingam; tametſi ab aliis fuerint in hac quæſtione uberrime diſcuſſa, præſertim a R. P. Joanne Laurentio Berti in Piſana Academia Theologiæ Profeſſore, cujus ſolida moralis doctrina ſatis ex ſcriptis ſuis deprehenditur, cum hortante Eminentiſſimo Nereo Card. Corſinio diſſertationem edidit pereruditam 30. *Decembris* 1756., in qua haud illicitum eſſe hoc modo Variolas excitare egregie probavit. Niſi fortaſſe, cum in præſenti negotio tutiorem ſententiam tutior efficiat medicina, majorique experientiæ innixa, opus fuerit, ut ad Medicorum experimenta, doctrinamque confugiam. Solitas igitur difficultates ex ipſis theologicis principiis deductas confeſtim aggredior.

En prima adverſariorum objectio. Numquam experiundi cauſſa ægrotis, de quorum ſalute deſperatur, conferre licet medicamentum,

tum, quod an ſit ſalutare, an nocuum ignoratur, ut communis eſt Theologorum omnium ſententia. Nemini enim licitum eſt experiri, ſcientiamque acquirere hominis morte, quam fortaſſe medicina, cujus vis non bene comperta eſt, accelerare facile poſſet. Hominis quippe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti pretioſiſſima vita eſt, adeo ut vel unum ipſius momentum plurimi a nobis ſit æſtimandum; quæque a Deo ipſo unice pendet, qui numerum dierum, & tempus dedit illi *Eccl. 17. 3.* . Hoc ipſum & inter Gentes adverterunt Medicorum ſapientiſſimi: Hippocraticum enim effatum illud, *Medicinam eſſe experimentum periculoſum*, Galenus exponens *comment. L. in Aphoriſm. Hippocr.*, temerariam eſſe, inquit, in humano corpore experientiam, quæ ſane non eſt in latere, luto, ligno, lapide, tabula, & corio, verum in nobiliſſima rationali Creatura. Hinc falſum, Salmanticenſes DD. ajunt *tract. 25. de 5. Decal. præcept. cap. 1. punct. 6. n. 148.*, & Chriſtianis legibus adverſum illud Plinii *lib. 29. c. 1.*: *De Medicis nulla lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ: diſcunt periculis noſtris, & experimenta per morbos agunt, medicoque tantum hominem occidiſſe, impunitas ſumma eſt*: quia eſto ſupplicium hominis judicis effugiant, minime Dei judicis vindictam declinabunt.

Quæ

Quæ cum ita ſe res habeat, ſi in homine, de cujus vita nulla ſpes ſupereſt, experiri nullo prorſus modo liceat, quî experiri fas erit in iis, qui ſani ſunt, periculoſo admodum remedio, quo ab ea in poſterum infirmitate liberentur, qua forſan naturaliter immunes eſſe poterunt? Et quamvis non ſemel, pluribuſque in regionibus feliciter iverit res, nemo tamen inficiari poterit, quin plures ea operatione perierint: *Hecquet doutes contra l'Inoculation*. Quinimo ſi ſub nonnullis climatibus proſperrime in hac re actum ſit, ecqua ſub novo alio climate ſecuritas erit? Hoc ipſum, cum in Variolarum implantationem vehementer declamatum aliquando fuit, ſic truculentius propoſitum eſt; *num ſub ſpe ſalutis liceat hominem interficere?* Vide Comitem Roncallium Parolinum *in declamatione Epiſtolari in Variolarum inſitionem Piſis* 1759.

Jam vero hæc omnia refutemus. Itaque verum eſt, nunquam licere in homine experiri ſimplicis experientiæ cauſſa, remedii ſcilicet applicatione, cujus nullum in anteceſſum periculum factum eſt: novi etenim, ſancte habendam eſſe hominis vitam. Verum Theologi quamplures ad ravim uſque tuentur, licitum eſſe Medico medicinam applicare, quæ an ſalutaris, dubitat, an noxia ſit futura, dubio ſcilicet & ipſi experientiæ fundato, ægro-

ægroto, cujus deſperata eſt vita, cuique nullum aliud probabile ſupereſt remedium. Quod nihil eſt aliud, quam tentare, *hominem citius interficere cum ſpe ſalutis* recuperandæ. Prudentiæ quippe eſt, & voluntati infirmi conformius, inquiunt DD. illi, cum deſperata fuerit ſalus, illud potius, quam nullum applicare remedium; etenim ſi noceat, præter voluntatem erit, atque alias jam infirmus erat moriturus, etſi applicatum non eſſet. Quum igitur mors ſit certa, non erit ſolum Medico licitum, quin tenebitur illud adhibere, unde ſpes dubia ſalutis. Hac denique applicata medicina unum duntaxat periculum erit, accelerandæ ſcilicet tantillum mortis; utilitas vero inde ſuſcipienda vita eſt plurium annorum; prudentiæ igitur eſt, imo debitum officium ob magnam utilitatem exiguo periculo quemlibet exponere. Id porro, tutior licet aliis contraria videatur ſententia, non ſolum uſitatum, ſed & quotidianum eſſe comperimus: *extremis* ſiquidem *morbis* nihil promptius Medici habere ſolent, quam *extrema remedia*. (*Hippocr. Aphor.* 6.) quæ nullo non vacant periculo, adhibere, ut *quæcunque medicamentis non curantur, ignis curet Hippocr. Aphor. 90.*

Ex qua porro altera Theologorum ſententia facile inferri poterit, cum liceat in deſperatæ ſanitatis homine eo modo experiri, lici-

licitum quoque eſſe, ad perницioſiſſimum, totique reipublicæ infeſtiſſimum malum avertendum, Inoculationis remedium adhibere, cum nullum aliud ad præcavendum ſuperſit. Quod ſic conficiam: Variolarum morbus pene univerſalis factus eſt (Monſ. Tiſſot *l' Inoculation juſtifiée articl.* 2. §. 7. Mr. Gantuvell. *diſſert. ſur l' Inoc. pag.* 74. 77.), ut vix evitari poſſit, damnoſuſque adeo, ut quartadecima hominum pars eo quotannis miſere pereat, (Jurinus in ſuis *Relat. Inſit. Var.*, Kirkpatrik *The Analyſis of Inoculation*) præter illos, quos, & quidem plures, deformitate turpes efficit, orbos organis, aliiſque morbis male affectos relinquit. His omnibus & illud accedit, quod eos, quibus natura peperciſſe viſa eſt, hoc ipſos malo liberans, nunquam a formidine ſolvit, ne graviſſime illo afficiantur adulti. Deſperata igitur eſt ob cladem iſtam quarta circiter humanæ reipublicæ pars, cui ſubveniendum, etiamſi quid damni minimæ ejus parti ſit inferendum. Prudentiæ enim eſt, quocunque potius, quam nullo tantum malum remedio avertere, maximumque inde utilitatis percipere: & quemadmodum apud laudatos Theologos damnum in periculo ægroti ſaltem accelerandæ mortis conſiſtit; ita apud nos in exigua admodum eorum parte, qui huic remedio, ut ipſi contendunt, ſuccumbere poſſunt.

Nonne & ipſi una cum medicis magnifice clamant: conſulendum eſt toti reipublicæ, totiuſque communitatis corpori, cujus pars, ut bono illius cedat, nedum periculo exponatur, verum abſcindatur, jugu- letur, deſtruatur? Neque aliam profecto invenio cauſſam (niſi fortaſſe jactantiam, atque ambitionem) quam ſocietati providere, cum non uno tentamine in humanum corpus ſævitum eſt, atque in dies ſævitur. Ecquid dicam de Cortice Peruviano, cui ante frequentiſſimum ac ſaluberrimum, quem obtinuit, uſum longe acrius, quam Variolarum Inoculationi contradictum eſt? Quid de Mercurio, & Mercurialibus, quæ tantum humano corpori malum inferre poſſunt, ut arma dicantur in furioſorum manibus, (conſule Boerhavium, Wepferum, Bonetum, & alios Anatomicos) adeo ut ex tabidis præſertim, qui iis uſi ſunt, vix unum ex centum, quorum properata mors eſt, ſanitati reſtitutum deprehenderim? Temere vero, atque indiſcriminatim adhiberi adverto. Quid de Cauſticis omnibus, quæ tantum nocumenti cauſſare poſſunt, ut docent Medici? Et tamen nihil iis frequentius.

Ne vero hiſce auditis regerant adverſarii, ſcilicet hujuſmodi inventis conſultum reip. eſt, euge, optime; at nos gaudeamus inventis, non audeamus invenire. Ab

ſit.

ſit lethale medicamentum periclitari, vel quodcunque aliud inexpertum ſano præſertim corpori applicari, quod eſt, hominem ſanum cum ſpe ſalutis interficere. Ne, inquam, hæc proferre audeant, illico ſic comprimere oportet. Variolarum inſitio ſedula, accurata, diuturnaque experientia probata eſt: quod evidentiſſime demonſtratum eſt ab iis, quibus diligentiſſima fuit rem ad calculos reducendi cura; unde ſummatim deprehendimus, quemadmodum ante ſaluberrimam hanc inventionem in melioribus, atque aptioribus climatibus Variolarum morbus decimo cuique ad interitum erat fatalis; poſt vero ipſam, ubi executioni mandata eſt, vix ex trecenis, vel quingenis uni tantum pernicialem fuiſſe, & plerumque quod alias corpus male affectum, nec rite fuerit diſpoſitum, vel ex infirmi ipſius imprudentia, vel denique Medicorum incuria, aut Inoculatorum imperitia (Conferatur M. De la Condamine *Memoir.* 1.). Id vero in omnibus fere climatibus expertum feliciter eſt, ut vix ullum ſuperſit, quod inſititio operi novum dicatur. Adeo ut ſiquis forſan clima ſulphureum, & nitroſum reformidet, Auſtriacas regiones quaſdam nimium ſulphureas reſpiciat, quæque haud multum temperatæ ſunt, ubi feliciſſime inoculatum eſt. Quidni, ubi temperatus eſt aer? Porro tum ſulphureum,

tum nitroſum aerem prodeſſe magis, quam obeſſe inoculatis, Medici oſtendunt. Præterea nimis probare videtur idipſum, quod tam meticuloſe objectant: non enim pharmaca ſolum, omneſque chirurgicæ operationes corpori nocere poſſunt, quod infinitis propemodum modis ineptum iis evadere poteſt, verum & quilibet ſanus cibus, potuſque incorruptus, atque aer ipſe ſaluberrimus, quæ omnia vel non rite diſpoſitum corpus ſubeundo, vel male ſuſcepta hominem poſſunt trucidare. Non ſolum igitur ab omni quocunque medicamento, ſed & ab omni cibo, potu, & ipſa reſpiratione nobis eſſet abſtinendum (Vide M. Lobb. *Traitè de la pet. Var. t. 1. p. 322.*). Quæ cum ita ſint, ne dubium quidem poſthac dixerimus, ſed certum, tutumque remedium, quod ulteriori non indiget experientia, ut ſano etiam corpori incunctanter applicari poſſit. Non eſt igitur hominem cum ſpe ſalutis interficere, ſed hominem, imo totam rempublicam contra peſſimum contagium præmunire.

Quamquam ita repulſi adverſarii, fortius tamen urgent. Divinum illud eſt: non ſunt facienda mala, ut eveniant bona (Paullus *ad Rom.* 3. 8.): malum profecto eſt Variolarum inſitio, infirmitas in ſanum corpus ſponte arceſſita, periculum, temeritas; quamvis

vis igitur bonum, ut contenditur, neque exiguum reip. inde cauſſetur, nunquam licita erit.

Verum hæc difficultas facile retunditur. Nunquam malum morale etiam leviſſimum admittendum, ut bona quæcunque eveniant, ſcitum Theologicum eſt: & quamvis duobus ſimul malis etiam moralibus ad neceſſariam actionem concurrentibus, minus ſit eligendum; nullatenus tamen morale adhuc minimum, ad majus quodcunque evitandum, in anteceſſum eſt perpetrandum. At falſum eſt, non poſſe minus malum phyſicum admitti, ut majus evitemus: ſic poſſumus uno morbo nedum extrinſeco, ſed & quandoque intrinſeco alium morbum curare, ut inter ceteros luculenter oſtendit in ſuo *Ventilabro Medico-Theologico part.* 1. *q.* 29. Michael Boudevyniius Medicus, & Philoſophus Antuerpienſis, qui Theologice ſcripſit. Enixe ergo propugnanda Inoculatio, cujus leviſſimo incommodo graviſſimum a rep. malum arcetur.

Reponunt ultimo adverſæ ſententiæ patroni. Malum phyſicum, quod tum ex ſe ipſo, tum ex iis, quæ cauſſat, majus eſt illo, quod ipſo avertendum curatur, ſit malum morale; hujuſmodi eſt Variolarum inſitio; malum igitur morale eſt. Quandoquidem in hac crudeliſſima operatione particulæ teterrimi virus in ſanguinem transfuſæ ſemen eſſe

poterunt, aliorumque cauſſa malorum, quæ per eandem viam communicentur, ut Scorbuti, Scrofularum, atque aliorum. Itemque peſſima quædam, velut ulcera, tumores, aliaque poterunt in corpore relinquere, quod neque in poſterum a naturalibus Variolis certo tutabitur. Denique quum nobis minime conſtare poſſit, quandonam ita corpus diſponatur, ut Variolæ erumpant, ſi violenter, importuneque id tentetur, actum facile erit de illo.

Agedum & hæc rejiciamus. Omnia, quæ aſſumuntur, quam maxime valerent, niſi experientiæ contraria omnino eſſent. Nihil omnino crudelitatis, ac ſævitiei Variolarum inſitio habet, quum nihil in ea tolerandum ſit aliud, quam pene inſenſibilis inciſio, qua vix cutis penetratur, leviſque febris ſymptomatica, quæ ephemera quidem eſt: quumque ex benignioribus Variolis, opportunaque tempeſtate materia inſerenda fuerit deſumpta, quumque omnes, quæ opus ſunt, fuerint cautiones adhibitæ, ubi infelicius acciderit, vix ex quinquagenis unum; ubi vero felicius, ex trecenis unum periiſſe conſtat ex iis, quibus facta inſitio eſt: inter illos autem, qui ſpontaneis Variolis affecti ſunt, ex quinis ſingulis unum (Jurinus *Relat. de Inocul.*, Tiſſot *l' Inocul. juſtif. art.* 10. *q.* 68., M. Mead *de Variolis*, *& morbillis cap. de Inoc.*).

Exper-

Expertum quoque eſt, nihil aliud in corpore mali Variolas inſitas cauſſare, quam illud quod naturales afferre ſolent, niſi fortaſſe, præſertim extrinſecus, minus quam illas (Gautuvel *Diſſert. ſur l'Inoc. pag. 5.*, Tiſſot *cit. loc. art. 8. q. 44.*). Imo, ſi cui ſemel inſitæ fuerint, denuo inſerantur, nullo iterum modo revocantur (Emmanuel Timone *Epiſt. ad Vedowart*, Jacobus Pilarinus *Nova & tuta Var. exc. per tranſplant. methodus*, Jurinus *Relat. &c.*). Quin nullum habemus Variolarum exemplum, quæ in eo corpore denuo naturaliter pullularint, cui ſemel inſitæ fuerint (Antonius *Le duc Diſſert. de Bizantina Var. Inſit.*, Carolus Maitland *Relat. de inſer. Var.*, Tiſſot *art. 10. §. 65. ibidem*). Verum utique eſt, hominum vitam breviorem in dies evadere, noviſque ſemper infirmitatibus corripi; hujuſmodi vero calamitatis cauſſam quis dixerit Variolarum inſitionem, cui potius non mediocris hominum vitæ pars eſt tribuenda? Sunt profecto & aliæ quamplures cauſſæ, quibus nobiſmetipſis mala cauſſamus, vitamque noſtram miſere breviamus. Quod denique ad naturalem corporis diſpoſitionem attinet, qua facile Inoculati carere poſſunt, certum eſt, omnes fere homines, ut ſuperius innui, Variolarum contagio afficiendos, omneſque fere ad illud aptitudinem habere. Varioloſum igitur virus

utcunque introduci, & cum humoribus immixtum eoſdem corrumpere, & vitiare: itaque optimum, conſultumque erit, jam malo aptum corpus arte diſponi, ut et blandius ex hac operatione eo efficiatur. Verum ne huic difficultati diſſolvendæ plurimum fatigem, ipſa etiam experientia conſtat, quod ſane maximum eſt, eos, quos natura a Variolis immunes ſervat, quum aptitudine illa careant, nec inſitione ipſa Variolis affici poſſe, neque aliud eos Inoculatione perferre, quam illud, quod ipſis ex levi Phlebotomia illatum eſſet (Jurinus *Relat.*, Butinus *tract. de Inoculat.*, Kirkpatrik *The Anal. of Inoc.*, Tiſſot *l'Inoc. Juſt. art.* 10. *§.* 66., De la Condam. *Memoir* 1., aliique). Non eſt igitur malum eo, quod præcavendum curatur, majus Variolarum inſitio, neque fanaticum quid, ut Chirurgia Infuſoria, & morborum quorumcunque curatio per Machinam electricam, quibuſcum illam conferre audent.

Demonſtrationibus, quas hucuſque in ſolvendis adverſariorum difficultatibus, qua maxima fieri potuit, brevitate expoſui, & iis quidem publicis, receptis, probatiſſimis permoti Angli, Galli, Germani, aliæque Nationes pene omnes, Magnates quoque, ac Principes, tam ſolliciti vitæ, & valetudinis liberorum ſuorum, Inoculationem libentiſſime amplexati ſunt; nec amplius modo paucorum

rum, qui in Galliis, Anglia, & Inſubria ſuperſunt, Inoculationis hoſtium invidas declamationes, tanquam contra remedium jam in tuto poſitum, ferre patienter poſſunt. Quare tot perſpicuis ſolidiſque fundamentis, & experientiis innixi Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus XVI., ejuſque Regii Fratres Variolas ſibi inſeri noviſſime voluerunt; ac Veneti Dominii Proceres ſubditorum ſuorum, ac Dominii ipſius incolumitati, atque utilitati proſpicientes, non Venetiis tantum, ſed in aliis quoque Dominii Civitatibus Inoculationis artem, & uſum regia munificentia, paternis ſuaſionibus, & publico ære introducendum curarunt.

His poſitis, Lucius Clericus, qui voluit, ut arte medica puſtulæ, vulgo *Vajuolo*, in ſanguine nepotis ſui Lælii, cujus curam gerebat, infererentur, non peccavit, & ſervata debita diligentia quoad Inoculationis tempus, modum, diſpoſitiones, & circunſtantias omnes neque peccavit Profeſſor eas inſerens; immo Lucius tutius, ac prudentius ſe geſſit iis, qui ſinunt, aut ſuadent, aut etiam cogunt filios, aut nepotes, ut cum variolatis in eodem lecto decumbant, Theologis non reclamantibus, & fortaſſe iis quoque pauciſſimis, qui adhuc ſuperſunt pertinacibus Inoculationis hoſtibus.

Irregularitatem, ut alteri quæſito ſatiſfaciam

faciam, ex delicto homicidii non contraxiſſe Lucium, deducitur ex reſolutione primi quæſiti. Si Lucius per ſemetipſum inoculaſſet Lælium nepotem, incurriſſet irregularitatem, quæ continetur *Cap. Tua nos, de homic. volunt. & caſu, & Cap. Sententiam, ne Cler., vel Mon.*, in quibus ſub illa pœna interdicitur Clericis, & Monachis uſus Chirurgiæ per aduſtionem, vel inciſionem ſecuta morte. Sed quia per artis peritum opus præſtitit, ideo immunis eſt etiam ab illa irregularitate. Compertum autem eſt, Pontificem in illis Decretalibus damnaſſe in Clericis, & Monachis exercitium illud per ſemetipſos, non per alios; & ſi voluiſſet etiam per alios, debuiſſet exprimere voluntatem ſuam, ſicut de cenſuris, & aliis irregularitatibus factum fuiſſe legitur.

Mense Septembri.

MÆvius negotiator, decoctioni proximus, tantam pecuniæ ſummam, debito in anteceſſum doloſe ficto, ſervavit, quantam ſufficere ſuæ, ſuorumque ſuſtentationi eſt arbitratus: item uni ex ſuis creditoribus totum & integrum debitum ſolvit cum injuria, & detrimento aliorum, a quibus mox facile obtinuit partis notabilis remiſſionem.

Quæritur I. An licite ſe geſſerit, eam pecuniam ſervando.

II. An

II. An ſolvens uni ex creditoribus totum & integrum debitum, peccaverit; & an creditor poſſit tuta conſcientia ſolutum retinere.

III. An ſi deinde negotia feliciter reparaverit, & poſſit quidquid fuit condonatum reddere, & ſolvere integrum debitum, ad id teneatur.

DECISIO.

Ad I. Hæc decoctio, cui proximus eſt Mævius, vel eſt voluntaria, & facta in fraudem, vel caſualis, & inevitabilis a rerum eventibus: ſi primæ ſpeciei, illicite ſe geſſit, reſervando ſibi tantam pecuniæ ſummam, quantam ſufficere ſuæ, ſuorumque ſuſtentationi eſt arbitratus, ex illo generali principio: *res clamat ad dominum ſuum*: ſi ſecundæ, nempe invita, & caſualis, potuit eam ſummam ſibi reſervare; etenim inter juſtas cauſſas differendi ſolutionem debiti communiter recenſetur a Doctoribus cum Antoine *de juſtit. & jur. cap. 6. q. 7. gravis neceſſitas tua, vel tuorum, quos ſuſtentare teneris, niſi tamen creditor ſit in pari neceſſitate*. Nunquam tamen illicito doloſæ fictionis remedio uti debuerat Mævius.

Ad II. Ad ferendum æquum judicium de Mævio, inquirendum eſt, cujus naturæ ſit ille creditor, cui totum & integrum debitum

bitum perſolvit. Si enim eſſet creditor hypothecarius, quum præferentiam habeat ſupra alios, nullum præjudicium, ſic faciendo, aliis creditoribus irrogaſſet. Et dato caſu, quod eſſet ſolum perſonalis, ſimiliter inquirendum, an quando ſubminiſtravit ſuam pecuniam Mævio, foret prior tempore aliis; tunc enim *qui prior eſt tempore, potior eſt in jure*, ut aliqui ſentiunt cum Concina *diſſ.* 2. *de reſtit. cap.* 3. contra alios, qui cum Natali Alexandro, Genet, & Antoine tenent, inter iſtos ſimplices creditores nullam admittendam eſſe prælationem. Quare concludit idem Concina: *Quiſque propriæ patriæ leges ſpectare debet*. Tota igitur difficultas reſtringitur ad caſum, quod talis creditor ſit mere perſonalis ſine ullo privilegio, & anterioritate ſupra alios; in qua hypotheſi ſolutio facienda eſt pro rata, ſive ſecundum proportionem debitorum reſpective ad ſingulos: unde Mævius, ſolvendo totum & integrum debitum uni creditori, peccaſſe cenſendus eſt propter illatum præjudicium ceteris, in quorum fraudem egit. Ita Communis: & hæc quoad primam quæſiti partem.

Quoad alteram, juxta mox allata ſi talis creditor privilegio, vel anterioritate gaudeat, aut ipſe primus ante alios ſolutionem debiti exegerit (vide Antoine *de juſt. & jure cap.* 5. *q.* 7., Natal. Alex. *Theol. dogm. mor. lib.* 4. *cap.* 7.

cap. 9. *art.* 4. *reg.* 41.), dummodo nulla præceſſerit debitoris admonitio (Concina *loco ſupra cit.*), poteſt tuta conſcientia retinere, quod Mævius illi ſolvit; ſecus retinere nequit, ſed reſtituere debet.

Poſſet hic excitari dubium, an ſi talis creditor, cui Mævius totum & integrum debitum ſolvit, ſit magis pauper, & egens, ſaltem in hoc caſu & Mævius licite hoc fecerit, & creditor poſſit ſibi ſolutum licite retinere. Probabiliter hoc licitum eſſe aſſerunt non pauci Doctores, hac ducti ratione, quia pauper, ſi non ei ſolvatur, ſubjacet majori damno præ ceteris. Probabilius tamen id negant alii cum Natali Alexandro *cit. loc.*, ex eo quod talis prælatio indicata non reperiatur ab ulla lege; unde, ceteris paribus, creditor pauper hoc ſolo titulo, quia magis pauper eſt, nullo jure neque naturali, neque poſitivo gaudet hac prælatione, & creditor dives habet æquale jus, ac habeat creditor pauper ad rem ſuam, adeoque in ſolutione ſunt æquiparandi: per accidens enim eſt, quod iſte majus damnum patiatur. Excipe tamen caſum gravis neceſſitatis; tunc enim omnes conveniunt, quod talis creditor præferendus ſit ceteris non quidem ex juſtitia, ſed ex charitate.

Ad III. Emmanuel Sà verbo *debitum* hæc habet: *Genuenſium debitorum mos ſic cum credito-*

ditoribus componentium, ut minori ſumma contenti ſint, liberat eos ad pinguiorem fortunam venientes. Attamen nimis generalis eſt iſta aſſertio; unde ad illam clarius explicandam recolenda eſt ſuperius allata diſtinctio. Vel Mævii decoctio fuit voluntaria, & facta in fraudem; & tunc, ſi in feliciorem ſtatum devenerit, tenetur integrum debitum ſolvere; quia talis condonatio, & remiſſio facta fuit intuitu ejus exiſtimatæ decoctionis, credendo, quod vere ita eſſet, & idcirco ejus ſtatum commiſerando: unde tales creditores vere non habuerunt animum condonandi illam partem; nam ſi ſciviſſent, quod interveniſſet aliqua iniqua tractatio & dolus, profecto nihil remiſiſſent. Idem dic de eo, qui habens facultates ſufficientes, ad ſatisfaciendum omnibus, ſe ſe recipit in Eccleſiam, vel aufugit in remotiorem locum, ut a creditoribus debiti remiſſionem obtineat vel in totum, vel in partem, vel ut componatur cum eis in minori ſumma: talis enim remiſſio, ajunt Salmanticenſes *tract.* 13. *de reſtit. punct.* 12. *num.* 276., utpote facta ex dolo, & fraude, eſt involuntaria, & ſic nulla. Pariter ergo Mævius, ſi deinde negotia feliciter reparaverit, tenebitur, quidquid fuit condonatum reddere, ac ſolvere integrum debitum. Vel talis decoctio fuit caſualis, & inevitabilis a rerum eventibus; & tunc, ſi poſtea fortuna

ejus

ejus negotiis arrideat, a tali ſolutione videtur exemptus; quia creditores remittendo ipſi illam notabilem partem, habito reſpectu ad ejus infortunia, voluntarie ſe ſpoliaverunt illo jure, quod habebant ad petendum integrum debitum, cujus ſolutio in vim legis unicuique eorum competebat: ideoque quoad remiſſionem factam illius notabilis partis poteſt in conſcientia acquieſcere; & in hoc ſenſu intelligendus eſt laudatus Emmanuel Sà, quia talis remiſſio, ut docent communiter DD., habet vim donationis, excepto, niſi in faciendo talem remiſſionem appoſita fuiſſet aliqua clauſula relativa, quod ſcilicet, ſi unquam ſuperveniret felicior ſtatus, ad integram ſolutionem teneretur.

Mense Octobri.

Taxaverat Magiſtratus pretium quarumdam rerum de genere comeſtibilium pro tota Provincia; ſed cum in aliquibus ejuſdem Provinciæ locis majores, quam in aliis, ſint venditoribus expenſæ neceſſariæ, venditores in illis majus pretium exigunt, quam ſit lege taxatum.

Quæritur I. An teneantur ſtare pretio a lege taxato, & exceſſum, quem exegerunt, reſtituere.

II. Si tenerentur reſtituere, quomodo ea reſtitutio eſſet peragenda. DE-

DECISIO.

FIrmiſſime ante alia ſtatuendum, cuilibet Principi, ſeu Magiſtratui, cui principalis inſit auctoritas, quive Principis partes gerat, legum condendarum jus convenire, quibus ſubditi omnino parere debeant: quod aperte tradidit Apoſt. Paul. *ad Rom.* 13. illis verbis: *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Et poſt pauca: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram* (ideſt ne pœnæ propter inobedientiam comminatæ incurrantur) *ſed etiam propter conſcientiam* (ideſt ne de admiſſo in legem facinore vos reprehendat, torqueatque conſcientia). Hinc ea S. Th. doctrina 1. 2. *quæſt. 96. art. 4. in corp.*: *Leges poſitæ humanitus.... habent vim obbligandi a lege æterna, a qua derivantur*; cui conſonat S. Ant. *in ſumm. Theol. tit. 8. cap. unic.* §. 2. ſic inquiens: *Leges humanæ etiam ſæculares imponunt homini neceſſitatem ad obſervandum in foro conſcientiæ*.

Potiſſimum autem a ſubditis Magiſtratui obediendum, ſi leges ferat, quibus æqua mercium, ac maxime comeſtibilium pretia taxentur; ſic namque communi populorum bono conſulitur, dum nimia, quæ in vendentibus eſſe ſolet, lucrandi cupiditas fræ- natur,

natur, & ementium immoderata coercetur illud detinendi libido, quod attenta loci, temporis, aut alia qualibet circunſtantia pro congrua ſui ſuſtentatione cuique foret rationabiliter erogandum: atque hujuſmodi taxæ exacte congruunt ii characteres, quos pro lege vim omnem obligandi obtinente S. Iſid. *lib.* 5. *orig. cap.* 28. ita enumerat: *Erit lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum patriæ conſuetudinem loco, tempori conveniens, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.*

Quoad priorem itaque primi quæſiti partem, ſi res abſolute ſpectetur, ſeu nullus ad majores certis in locis obeundas expenſas reſpectus habeatur, venditores, quotquot extant, comeſtibilium pro tota illa Provincia taxatorum pretium a Magiſtratu conſtituto majus licite nequeunt exigere; taxa ſiquidem evulgata fit, ut eæ res hac in Provincia, id temporis, in hac penuria, aliiſve circunſtantiis tanti valeant, quantum ipſa ſancitur. Porro *carius vendere, vel vilius emere rem quam valeat, ſecundum ſe injuſtum, & illicitum eſt*, ait laudatus Doct. Ang. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 7.

Quod ſi majores, quæ pro hiſce mercibus aſportandis fieri debent, expenſas reſpicimus: vel earumdem cauſſa congruum venditoribus lucrum adimitur, quin & ali-

quid affertur detrimenti; ac taxæ tunc nequaquam ſtandum: neque vero infringenda ex privato cujuſquam arbitrio, ſed res tota Magiſtratui, ſi adiri facile poſſit, ſincere deferenda, ut æquius in caſu provideat; cum emptio reapſe, & venditio contractus ſint pro communi utilitate introducti; quodque *pro communi utilitate inductum eſt, nec in unius, nec in alterius utilitatem verti debeat*, ut docet idem S. Th., qui 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. propius ad rem noſtram inquit: *Si leges humana condantur auctoritate, quæ ſubditum, ultra quam fas eſt, aggravent, non obligant in conſcientia, niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri ſuo debet cedere*. Vel, majoribus hiſce datis expenſis, nullum propterea damnum præfati venditores patiuntur, imo vero ex taxatorum comeſtibilium venditione tantum adhuc reportant emolumenti, quantum ſatis eſt, ut induſtriam laboreſque ſuos congruenter compenſent. At ſi ita ſit, non video plane, qua ſolida ratione ſubnixi, a lata lege venditores ipſi pro ſuo quique libito recedere queant; immoderatum quippe, quo vendentes paſſim detinentur, lucri adaugendi deſiderium auctoritati Legislatoris nullatenus eſt præferendum; nec major illa emolumenti portio, quam, taxatum prætergredientes pretium, referre poſſunt, pluris habenda

benda cenſetur, quam univerſæ Provinciæ commodum, & utilitas, quam omnium felilicitas incolarum, ac bonum commune, quod Principes, & Magiſtratus ſuis unice legibus intueri non niſi temere quis inficiabitur.

Reponunt fortaſſe, ut a culpa immunes credantur, ſe in iiſdem victualibus venundandis pretium augere admodum diſcrete, ſeu quantum poſtulant graviores, quas ipſi obire debent expenſæ. At norunt de pretio hic agi non vulgari, aut ordinario, quod veluti per gradus in infimum, medium, ſupremum æquabiliter dividitur; ſed de legitimo, indiviſibili, quodque Legislator, talibus circunſtantiis perſpectis, uti maximum, ac ſummum rerum illarum pretium conſtituit. Fas igitur non eſt, ne in modica quidem quantitate illud excedere, qualicunque tandem de cauſa, aut prætextu; neque unquam, qui ſecus pro arbitrio egerint venditores, notam inobedientiæ erga taxæ relatæ conditorem effugient.

Imo non tantum contra obedientiam Magiſtratui legitime præcipienti debitam peccarunt hi venditores, verum etiam contra juſtitiam commutativam; cum ad hanc certe virtutem pertineat, ut taxata quoque pretia ſerventur; illudque ſaniores apud Theologos receptiſſimum ſit, eum, qui legem actum injungentem cujuſpiam virtutis tranſgreditur,

tum legem ipſam, tum virtutem offendere, cujus actum omittit.

Atque hinc nitidiſſima emergit ſecundæ partis hujuſce quæſiti ſolutio. Relati namque venditores exceſſum pretii Magiſtratus judicio conſtituti injuſte ab emptoribus extorſere, eamque e medio tollere conati ſunt *pretii ad rem æqualitatem*, *in qua*, ut fuſe probat Ang., *juſtitia commutativa conſiſtit*. Eorumdem ergo conſcientiæ ſecuritas poſcit, ut manum admoveant reſtitutioni: *Cum enim conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis*, *conſequens eſt*, *quod reſtituere id*, *quod injuſte ablatum eſt*, *ſit de neceſſitate ſalutis*, idem S. Doctor concludit; ac iis conformia ſunt, quæ olim S. Aug. *Epiſt.* 153. ad Macedonium reſcripſit: *Si res aliena*, *propter quam peccatum eſt*, *cum reddi poſſit*, *non redditur*, *non agitur*, *ſed fingitur pœnitentia*; *ſi autem veraciter agitur*, *non remittitur peccatum*, *niſi reſtituatur ablatum*.

Venditores, opinor, hujuſce furfuris nullo ſe reſtitutionis onere gravandos exiſtimant; quod exactum ab ipſis exceſſum in partes diviſerint tam minutas, ut nihil propemodum detrimenti ſingulis emptoribus attulerint. Verum hallucinantur quam maxime, ſi eo devenere in eorumdem manu hæ minutiæ hinc illinc ultra taxam collectæ, ut ſummam tandem notabilem effecerint: nec effugere eos debet, quæ anno *1679*. die 22.

Martii

Martii a Ven. mem. Inn. XI. inter alias permultas proſcripta fuit propoſitio: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

Quoad alterum quæſitum facillima eſt meo arbitratu reſponſio. Exceſſum in primis, quem ſupra taxam injuſte, ut dictum eſt, extorſerunt ab emptoribus, hi rerum comeſtibilium venditores reſtituant, cum primum poſſunt. Etenim, ut egregie a S. Th. 2. 2. *quæſt. 68. art. 8.* edocemur, *Sicut accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc, quod aliquis retinet rem alienam impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; & ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere.*

Neque ad id peragendum expectanda Judicis ſententia, quæ neceſſaria tantum eſt, ut ad pœnam, ſeu multam pro legis violatione ſuperſolvendam reus compellatur; at non, ut illud executioni demandetur, quod ſuapte natura jus ipſum poſtulat.

Reſtituant deinde ipſum pretii exceſſum, ſeu pecuniam, quam ultra pretium lege ſancitum collegere; excepto caſu, quo qui erogare coacti fuerint, eorumdem comeſtibilium

portionem alteram recipere non renuant; *volenti ſiquidem, & conſentienti injuria non fit.*

Reſtituant inſuper publice, & palam, ſi forte publica pretii taxati inobſervantia legis, aut legem ferentis contemptui, item alicui ſcandalo, aut tumultui in populo locum dederit; per quas etenim cauſſas res exorta eſt, per eaſdem diſſolvi oportere, ſentiunt Auctores unanimiter. Extra hunc caſum liberum illis, licitumque id clanculum præſtare; ac tunc præcipue, cum grave aliquod incommodum, cum potiſſimum ſuæ famæ diſpendium ex palam peracta præfati exceſſus redditione ſibi obventurum verentur; nam tanto cum periculo haud illis profecto amplectendus reſtituendi modus, ad quem nec naturali, nec poſitiva lege alligari compertum eſt.

Tandem reſtituant exceſſum hunc iis ipſis emptoribus, quos ad ſolvendum ſupra taxam adegere, ſi adhuc inter vivos degant, ac noſcantur; nam is, cujus culpa quis minus habet, quam quod ſuum eſt, eidem ipſi ſupplere debet, quod deeſt. Illis autem vita functis reſtituant hæredibus, qui, ut communis fert ſenſus, quaſi una cum ipſis perſona computantur.

Lubentius fortaſſis hi venditores reſtituerent pauperibus. At neminem latet, quod Alexander III. *Cap. Si dignum, Extrav. de homicidio §. Eos inſuper* hac in re definiit: *Aliena cum*

cum potuerint eis, quorum fuerint, reſtitui, non debuerunt pauperibus erogari.

Poterunt utique, imo etiam oportebit omnino, exceſſum id genus pauperibus elargiri, ſi nulli extent, aut inveniantur ejuſdem veri Domini; quia bona quæcunque, ſeu deficiente, ſeu prorſus ignoto Domino, ad donatorem Chriſtum revertuntur, & in perſona Chriſti ad ejus pauperes, quos *ſemper nobiſcum habemus*, & de quibus Chriſtus ipſe dixit: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

At reliquis in caſu præferantur ii pauperes, qui degunt in loco, ubi pretii exceſſus contra jus ab emptoribus extortus fuit. Id nimirum bonus ordo poſtulat; & S. Th. *4 ſent. diſt. 15 art. 5. quæſtiuncula* 3. hiſce verbis dilucide affirmat: *Qui injuſte accipit, debet pauperibus* (ignoto, ut ajebamus, vero Domino) *illius villæ reſtituere, vel in alios uſus communitatis illius Civitatis expendere ſecundum arbitrium Epiſcopi, vel illorum, ad quos pertinet cura illius Civitatis.*

MENSE NOVEMBRI.

VEnerius Parochus, qui crebro, & ſine neceſſitate Oleum Sanctum domi retinet, illudque, quum ad infirmos eſt deferendum, dat laicis, ut deferant, quandoque in caſu

neceſſitatis adminiſtravit idem Oleum Sanctum ſine ſtola, & ſuperpelliceo, vel cum ſola ſtola, aut ſolo ſuperpelliceo; quandoque etiam uſus eſt oleo non benedicto ab Epiſcopo, vel utique benedicto, ſed non illo anno.

Quæritur I. An graviter peccaverit Venerius tum domi retinendo crebro Oleum Sanctum, tum illud per laicos deferendo ad infirmos.

II. An reus quoque ſit lethalis peccati, adminiſtrans in caſu neceſſitatis idem Oleum Sanctum ſine ſtola, & ſuperpelliceo, vel cum ſola ſtola, aut ſolo ſuperpelliceo.

III. An licite potuerit uti oleo veteri, non illo anno benedicto ab Epiſcopo; & an ſaltem in extrema neceſſitate, dum nempe infirmus nec dare valuit, nec unquam dedit ſigna pœnitentiæ, adhibere potuerit oleum ab Epiſcopo non benedictum.

DECISIO.

AD reſolutionem primæ partis primi quæſiti hæc ſunt notanda, quæ de loco, ubi Oleum Sanctum aſſervari debet, in Rituali Romano leguntur: *Habeat igitur Parochus loco nitido & decenter ornato in vaſe argenteo vel ſtamneo diligenter cuſtoditum Sacrum Oleum Infirmorum*. An vero hic locus nitidus, & decenter

center ornatus debeat eſſe in Eccleſia, an in Sacriſtia, ſeu domi ejuſdem Parochi, non aſſerit quidem expreſſe Ritualis Liber; at id definiit S. Carolus Borromæus ad normam quidem Romanæ Eccleſiæ in Actis Mediolanenſibus, atque in Concilio Provinciali IV. in hæc verba: *Oleum Infirmorum aſſervari debet in Eccleſia tantum, niſi Epiſcopus conceſſerit alicui illud tenere domi ob diſtantiam domicilii; & eo caſu* (ſubjungitur) *domi in feneſtrella panno ſerico veſtita intus, & ſub clavi retineri debet*. Hujuſmodi autem Eccleſiaſticas diſpoſitiones vel compertas habet Venerius Parochus, eaſque parvipendendo, crebro & ſine neceſſitate, nullaque habita licentia Oleum Sanctum domi retinet; & indubitanter affirmo, eum graviter peccare tum ob tranſgreſſionem Eccleſiaſticarum Sanctionum, tum ob expreſſum earumdem ſpretum: vel illas ignorat; & quum hujuſmodi ignorantia ſit vincibilis, ac de re ad decentem proprii miniſterii executionem ſpectante, ipſum pariter a gravi culpa non excuſarem violatæ Eccleſiaſticæ diſpoſitionis.

An vero graviter peccaverit Oleum Sanctum per laicos deferendo ad Infirmos, quæ erat altera quæſiti pars, non ſtatim & abſolute audeo definire. Siquidem de Extremæ Unctionis adminiſtrandæ ritu memini me legiſſe apud Guidonem *in Diſciplina Farfenſi*, & refertur etiam a Benedicto XIV. Pontifice ſa-

pien-

pientiſſimo in aureo opere *de.Syn. Diæc. lib. 8. cap. 4. n. 1.*: *Tunc ſint quatuor Converſi*, *quorum unus accipiat Aquam Sanctam*, *alius Crucem*, *tertius thuribulum*, *quartus Oleum Sanctum*. Hanc diſciplinam non improbat Summus Pontifex, & duntaxat aſſerit non ſuffragari iis, qui præſumunt etiam laicos Extremæ Unctionis eſſe adminiſtros. Hic quippe *Converſus*, ſubdit Benedictus XIV., *Oleum deferebat*, *quo infirmus non a ſe*, *ſed a Sacerdote inungeretur*. Secluſo ergo Fidelium ſcandalo, ſecluſa quavis Olei Sancti irreverentia, Venerius graviter non peccavit, illud per laicos deferendo ad infirmos; decentius tamen, & religioſius ageret, ſi vel per Clericum, vel per ſemetipſum deferret.

Secundo quæſito reſpicitur ſacer habitus, quo confici & miniſtrari Sacramenta, ubi locus, tempus, & reliquæ circunſtantiæ ſinant, omnino fas eſt, ac ſub gravi obligatorium, ut eorumdem Sacramentorum dignitati conſulatur, atque nitori. *Si quis dixerit*, in promptu eſt Canon 13. Tridentini Concilii *ſeſſ. 7. de reform. de Sacr. in gen.*, *receptos*, *& approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos*, *aut contemni*, *aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti . . . poſſe*, *anathema ſit*. At vero in caſu neceſſitatis, ubi omnes infirmus moras patitur, quia modicum tem-

pus

pus habet, ut ut contrarium ſentiant Bonacina, Naldus, Suarezius, & alii pauci, puto ego cum ceteris ferme Theologis, licite poſſe ſine tali habitu Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrari; adeoque minime reum lethalis peccati eſſe adminiſtrantem in caſu neceſſitatis Oleum Sanctum ſine ſtola, aut ſuperpelliceo, vel cum ſola ſtola, aut ſolo ſuperpelliceo. Peto enim a contrariæ ſententiæ patronis, num gravius ſit in Theologica ſtatera Sacramentum hoc ſine habitu ſacro (remota tamen quavis erga ipſum irreligioſitatis ſuſpicione) adminiſtrare, an vero infirmum Sacramento deſtitui, quod neceſſitate præcepti neceſſarium eſt, & *delicta, ſiquæ ſint adhuc expianda*, ut verbis utar Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 2. de Extr. Unct.*, *ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit.*

Primæ parti tertii quæſiti abunde ſatisfactum puto ab eruditiſſimo Clericato, qui de Extrema Unctione *deciſ. 105. num. 16.* propoſito ſibi dubio: *An poſſit adminiſtrari Sacramentum Extremæ Unctionis oleo benedicto veteri, ideſt annis præteritis conſecrato*, immediate reſolvit his verbis: *Reſpondent Doctores valide poſſe, non autem licite, quia ſingulis annis vetus oleum ſacrum*

ſacrum eſt comburendum , & novum conſecrandum Feria quinta Cœnæ Domini. Licite ergo uti non potuit Venerius oleo veteri, atque hujuſmodi uſu egit contra Canonem *122. de conſecr. diſt. 4.*, egit contra inſtitutionem Apoſtolicam. Nam tametſi olei,& chriſmatis benedictionem velint alii decretam a S. Fabiano Pontif. ſæculo III., alii ad ſæculum VII. duntaxat hujuſce benedictionis initium referant; attamen de ſacri olei benedictione loquens clariſſimus Pouget, *Ritus ille*, inquit *in Inſtitutionibus Catholicis lib. 2. cap. 8.*, *traditione Apoſtolica ad noſtra uſque tempora perſeverat*. Nec quemquam movere debet urgens Sacramenti conferendi neceſſitas, & alterius olei inopia, niſi priſtinis annis conſecrati. Id enim licitum eſſe *nequaquam nos inficiamur*, reſpondet Summus Pontifex Benedictus XIV. *inſtitut. 81 num. 4.*, *cum præſertim probatum fuerit a Sacra Congregatione pro cauſſis Epiſcoporum deſignata, & a pluribus Scriptoribus, quos Diana ſequitur, ac fuſe recenſet. At vero is tantum culpa vacuus, & immunis erit, qui oleo veteri ægrotantes unxerit ob eam rationem, quod recens oleum accipere, legitima cauſſa impeditus, non potuerit. Aliter tamen de illo judicandum eſt, qui novum oleum expoſcere negligenter omiſerit, & conſulto in eam neceſſitatem redigitur, ut oleo veteri utatur.*

Quod vero ſpectat ad ſecundam quæſiti partem, tametſi non deſint Theologi, qui Epiſco-

Epiſcopalem olei benedictionem minime neceſſariam autument ex Chriſti Domini inſtitutione, quos inter Victoria *in Summa de Sacramentis nu.* 216., Emanuel Sà verbo *Extrema Unctio*, Sambovius *tract. de Extr. Unct.*, Juvenin *de Sacramentis diſſert. 7. qu. 3. cap. 1.*; quia nimirum Sacramenti Extremæ Unctionis materia ex illis eſt, quas Chriſtus non in ſpecie, ſed in genere determinavit: omnes tamen omnino Theologi conſentiunt ex Eccleſiæ præcepto eſſe neceſſariam, & duntaxat per Summi Pontificis diſpenſationem ſimplicibus Presbyteris committi poſſe, ut patet ex more Eccleſiæ Orientalis, in qua a mille & amplius annis ipſimet Presbyteri, cum decumbentem infirmum inungere debent, oleum in ea Sacramentali unctione adhibendum benedicunt: atque ita teſtantur Arcudius *lib. 5. cap. 2.*, Allatius *de conſenſu utriuſque Eccleſiæ cap. 16.*, & legitur in Græcorum Euchologio a Goario notis illuſtrato *pag. 436.* Non video ergo, quomodo Venerius adhibere potuerit oleum ab Epiſcopo non benedictum. Quia infirmus, dicunt, nec dare valuit, nec unquam dedit ſigna pœnitentiæ. Sed bona ipſorum pace ſic agens Venerius etiam ductus hac ratione, ſe peſſime geſſit tum erga infirmum, tum erga Sacramentum. Nam vel infirmum judicavit ſubjectum eſſe capax Extremæ Unctionis; & ſe peſſime geſſit erga infirmum,

ipſum

ipſum probabiliter privando hoc Sacramento. Dixi *probabiliter*: non enim eorum Theologorum ſententia, quæ docet neceſſariam eſſe ad Sacramenti eſſentiam olei benedictionem, hactenus improbatur; imo communior Theologorum opinio eſt, quod ſi Sacerdos imprudenter oleum non benedictum adhibuerit, Sacramentum ſit ex integro iterandum. Vide Auctorem de Re Sacramentaria *tom. 2. pag. 197.* Vel infirmum judicavit Venerius hujuſce Sacramenti incapacem; & tunc ſe peſſime geſſit erga Sacramentum, ipſum exponendo probabili periculo nullitatis, ut liquet ex modo dictis, & certiſſimo ſacrilegio ob violatum eccleſiaſticum præceptum.

Mense Decembri.

Nicomedes diebus feſtis tranſcribere ſolet ob ſtipendium; Mauritius vero iiſdem diebus ſolius recreationis gratia nunc venationi, nunc piſcationi dat operam.

Quæritur I. An Nicomedes præſtet opus illicitum, & quidem graviter.

II. An a culpa ſaltem lethali excuſandus ſit Mauritius.

DECISIO.

Ut rite ſanctequc colantur Dominici, feſtique dies, duo præſtanda ſunt, ceſſatio nempe a corporis laboribus, ceteriſque nego-

negotiis, & exercitatio in pietatis, religioniſque officiis. Primum eruitur ex illis verbis: *Non facies omne opus in eo*; ſecundum ex iſtis: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*. Itaque verus, ac proprius hujus præcepti ſenſus eo ſpectat, ut homo a negotiis, corporiſque laboribus feriatus in ſancto otio Deum corpore, & animo pie colat, ac veneretur. Ex adductis præcepti verbis omne ſervilis operis genus prohiberi perſpicuum eſt, non quod natura ſua turpe, aut malum ſit, ſed quod mentes hominum a divino cultu, qui finis eſt præcepti, vehementer revocet, ac diſtrahat. Unde S. Gregorius ſcribit *lib.* 11. *epiſt.* 3.: *Dominico die a terreno labore ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum; ut ſiquid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur*. Servilia autem opera ſunt, quæ a ſervis, vel infima plebe, ſeu mercenariis hominibus exerceri ſolent; qualia ſunt artium omnium mechanicarum opera, & præſertim ruralia, in quibus tum homines, tum jumenta labori ſolent applicari.

Inter opera ſervilia præcipuum obtinet locum opus peccati; quum nulla ſit infelicior ſervitus, quam illa, qua homo ſervit peccato juxta illud Joan. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Hinc eruitur, ſpeciali quodam modo feſtivis diebus peccati

cpus

opus prohiberi, utpote quod non ſolum mentem a divinarum rerum ſtudio quammaxime avocet, verum etiam homines a Dei amore penitus ſejungat. Quare adeo prohibitum die feſto aliqui cenſent opus peccati, ut novam ſuperinduere malitiæ ſpeciem, affirmare non dubitent. Quam ſententiam propugnant Lovanienſis Academiæ præclariſſima Lumina, & quotquot in Galliis ſcripſere Doctores. Scio equidem, ſumma humanitate excipi in Italia muliebris ornatus elegantias e Galliis ad nos uſque provenientes, eaſque apud politiores animos ſtatim ſeveriſſimæ legis vim obtinere; non ita vero Doctorum ſententias, quas fortaſſe abſque ulla diſcuſſione, tanquam rigidiores, eliminandas illico vel imperiti omnes inclamant. Verum alii etiam bene multi, iique graviſſimi DD. laudatam ſententiam tuentur, inter quos S. Antoninus, S. Bonaventura, Lyranus, Scotus, Abulenſis, quos recenſere opportunum duxi, ne eadem ſententia tam facile contemnenda videatur.

Solæ ergo liberales artes, ut docet Angelicus 2. 2. *q. 122. a. 4. ad 3.* feſto die non prohibentur, ſcientiaſque omnes excolere tuto poſſumus; eæ enim animo magis, quam corpore exercentur, & ad animum principaliter ordinantur, ut docere, muſica movere inſtrumenta, & his ſimilia. Inter liberales artes,

artes, merito enumerari ſcriptionem nemo inficiabitur; ſcriptio quippe ad artem grammaticam pertinet, quæ inter liberales prima eſt. Enimvero ſcriptio eſt quædam locutio permanens, ex ſe ordinata ad mentis conceptus declarandos, ſeu ad propriam, vel aliorum mentem inſtruendam.

Dubitari quidem poſſet de ſimplici, & materiali tranſcriptione ob ſtipendium exercita, ut contingit in propoſita quæſtione de Nicomede, qui die feſto pro pretio tranſcribere ſolet. Non me latet, inter veteres DD. plures in ea fuiſſe ſententia, ut omnes liberales artes pro ſtipendio exercitæ die feſto illicitæ redderentur, ideoque a lege etiam vetitæ. Sed hæc ſententia ſuos ſtetit penes Auctores. Sunt vero, qui de tranſcriptione pro pretio exercita die feſto hoc idem peculiariter ſentiant, eamque graviter illicitam aſſerant. Ita S. Antoninus, qui *par. 2. tit. 9. cap. 7. Pertinet*, inquit, *ad opus ſervile prohibitum ſcribere pro pretio, & de quaterno in quaternum*; quam ſententiam propugnant alii eximii Doctores. Verum ut certum aliquid ſtatuatur, duo ſunt animadvertenda: I. Tranſcribere idem eſſe ac ſcribere, quod alius, vel ipſe tranſcriptor permanenter locutus eſt; eaque ratione tranſcriptionem ordinari ad mentem inſtruendam, & ad exprimendos animi conceptus, adeoque pertinere ad artem

grammaticam, ut de ſcriptione demonſtratum eſt. II. Non referre, utrum ſola addiſcendi gratia fiat, an ſpe lucri; intentio enim operantis naturam operis non immutat. Secus opera, quæ a nobilibus fœminis exercentur recreationis gratia abſque ulla lucri intentione, iiſdem eſſent permittenda; quod eſt contra generalem Eccleſiæ legem, quæ acu pictiles operas præſertim expreſſe prohibuit in Concilio Aquiſgranenſi. III. Dari poſſe aliquem, quod tamen ſatis difficile reor, qui ita materialiter tranſcribat, ut totidem characterum apices efformet in ſuo, quot videt in altero quaterno, quin ſenſa ſenſibus aptet, & fatigante manu nullum prorſus captet animus cognitionis, vel recreationis emolumentum; ita ut ſe habeat iſte ad tranſcriptionem, quemadmodum ſe habet Typographus ad characterum ordinationem, & diſpoſitionem.

Hiſce præjactis reſpondeo ad I. Quod ſi Nicomedes tranſcribit primo modo, licite tranſcribit, præſtat enim opus liberale, ideoque non vetitum: nec quidquam obeſt, quod id ſpei lucri faciat; intentio enim operantis, ut prænotatum eſt, operis naturam non immutat. Secus enim dicendum foret, quod peccet, qui elaboratam orationem tranſcribit, pro qua magnum lucri emolumentum eſt conſequuturus, quod ſane nemo dixerit. Si vero Nicomedes ſecundo modo tranſcribat, hoc eſt ita ſe habeat mate-

rialiter

rialiter ad tranſcriptionem, ſicuti ſe habet Typographus ad characterum ordinationem, tunc Nicomedes præſtabit opus illicitum. Hanc vero hypotheſim effingi quidem poſſe reor ſpeculando, non autem reapſe dari. De hac tranſcribendi ratione fortaſſe locutus eſt S. Antoninus, vel etiam tranſcriptionem alia ductus ratione damnavit. Enimvero reprehendendus is eſſet, qui, pene audito Sacro, totum diem feſtum tranſcribendo inſumeret ob turpe lucrum.

Ad II. Venari, & piſcari ex genere ſuo eſſe opera ſervilia nemo ſane ignorat. Etenim ſunt exercitationes corporales ad utilitatem corporis de primario ordinatæ, & ad aliquod corporeum opus, tanquam ad objectum, terminantur, ſcilicet ad ferarum occiſionem, & ad captionem piſcium. Haſce exercitationes eſſe die feſto Jure Communi prohibitas facili negotio demonſtratur. A piſcatione enim ceſſandum eſſe eruitur ex *Cap. 3. de Feriis*, ubi ſub certo onere datur facultas alecia piſcandi ob ſolam neceſſitatem. Sylvaticas etiam defatigationes ſevere vetat Eccleſia; quin etiam diebus jejunii, & præſertim Quadrageſimæ tempore venationes omnes prohibuit, ſic *Can. 13. diſt. 86.*, & Nicolaus I. reſpondens ad conſulta Bulgarorum *num. 44. tom. 5. collect. Harduini col. 369.*; eo quod temporis ſanctitati parum congruere videatur, ho-

mines detineri talibus oble&amentis , quæ mentem a divinis nimium avocant. Pariter Capitulare Aquiſgranenſe Caroli Magni venationes prohibet, quibus dies feſtos magno cum dedecore violari affirmat. Verum nolo aucupii ſtudioſis, & piſcatoribus ita infenſus videri, ut omnem venationis, & piſcationis ſpeciem ſeverus damnem. Itaque ſi venatio, & piſcatio ad juſti limites deducantur, ut ſi fiant ſine maximo retium, atque inſtrumentorum apparatu, ſi fiant recreationis cauſſa, ut quum quis uno, vel altero cane leporem inſequitur, vel ſola arundine piſces fallit, vel quiete piſcatur in flumine; tunc die feſto licite exercentur piſcatio, & venatio in ſententia omnium pene Doctorum. Immo Navarrus venationem, & piſcationem ita exercitam negat pertinere ad opus ſervile; quum ad animum recreandum ſpectet, atque idcirco evadat actio libero homine digna, ſicut deambulatio, vel aliud quodlibet opus, quod fit relaxandi animi gratia. In hoc autem ſervandi etiam ſunt æquitatis limites, ne cum pietatis, &divini cultus detrimento hujuſcemodi oblectamentis die feſto plus æquo indulgeatur. Igitur Mauritius in propoſita quæſtione venationi, & piſcationi ſolius recreationis gratia dans operam, nec illicitum præſtat opus, nec culpæ eſt arguendus, ſi modum, huic ſolatio indulgens, ſervet.

CASUS DECISI

ANNO MDCCLXXIII.

MENSE JANUARIO.

CAjus, & Lucas beneficia inter ſe permutarunt juſtis de cauſſis ab Ordinario approbatis; quia tamen beneficium Lucæ eſt de jurepatronatus, Patronus hanc permutationem, ipſo irrequiſito factam, nullam dicit, & monet Cajum, ne poſſeſſionem beneficii poſtulare præſumat: monitum irridet Cajus, monitorem conviciatur, qui propterea ſic laceſſitus ipſum Cajum mutilavit.

Quæritur I. An dicta permutatio ſubſiſtat.

II. An ex *Cap.* 12. *De pœnis* Patronus amiſerit juſpatronatus ob mutilationem Caji.

III. An quatenus amiſiſſet per ſolam Epiſcopi diſpenſationem poſſit iterum acquirere.

DECISIO.

AD I. Animadvertendum quaſcunque permutationes beneficiorum prohibitas fuiſſe ab Alexandro III. in *Cap. Majoribus* §. *De*

 præ-

præbendis. Verum quum id correxerit Urbanus III *Cap.* 5. *De rerum permutatione*, & Bonifacius VIII. *Cap. unico*, *Licet hoc*, *titulo eodem*, hodie Epiſcopis ſunt permiſſæ, ut fuſe oſtendit Ubaldus Giraldi in *Expoſit. Jur. Pontif. ſect.* 463. Circa hanc facultatem ex citatis Decretalibus Epiſcopis permiſſam notanda ſunt ea, quæ animadvertit Benedictus XIV. *de Syn. Diæc. lib.* 13. *cap.* 24. *num.* 9. ubi hæc habet: *Permutationes beneficiorum non complectitur Bulla S. Pii V: quia, licet ipſe in ſua Conſtitutione XLII. ſuſpenſam voluerit, quouſque aliter ſtatuiſſet, facultatem, qua Ordinarii gaudebant, admittendi beneficiorum reſignationes, & permutationes; quum tamen ſubinde in ſua Conſtitutione LVIII. eamdem ſuſpenſam facultatem Ordinariis reſtituerit, de reſignationibus ita locutus eſt, ut opportuniores quaſdam, novaſque reſtrictiones, & cautelas circa illas induxerit, ac ſtatuerit: at de permutationibus ita indefinite decrevit*: „ Ad „ hæc beneficiorum, & officiorum permutatio„ nes admittere, quæ Canonicis Sanctionibus, & „ Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur.

His præjactis dicendum, prædictam permutationem beneficiorum inter Cajum, & Lucam nequaquam ſubſiſtere. Siquidem permiſſæ ſunt hujuſmodi permutationes, dummodo ſint conſonæ Sacris Canonibus; talis autem non eſt ſupradicta permutatio, immo Canonicis Sanctionibus penitus adverſatur; ergo dicendum

dum non ſubſiſtere. Quod ut clarius appareat, videnda ſunt ea, quæ ad validitatem permutationis abſolute requiruntur. Primo igitur, quod uterque beneficiis renunciet in manibus Superioris, ut ex *Cap. Unicum*, *De rerum permutatione in 6.* ubi ſic ait Bonifacius VIII.: *Sua beneficia ad tuam collationem ſpectantia permutare volentes, libere ac ſine fraude in manibus tuis ipſa reſignent*. Secundo quod, admiſſa utrinque beneficiorum renunciatione, beneficia vere a Superiore conferantur; ut probat Garzias *par. 11. de benef. cap. 4. num. 15.* Tertio quod ſi beneficium ſit electivum, vel patronatum, requiratur conſenſus eorum, qui habent jus eligendi, vel præſentandi ad illud; ut ex Gloſſa *cit. Cap. Unicum* verbo *collationem*, ubi ſic: *Sed ad hoc ut teneat permutatio, erit neceſſe, quod interveniat illorum conſenſus, qui habent eligere:* quod idem habetur in *Clementina unica* verbo *conferantur* titulo eodem. Igitur beneficia jurispatronatus nequeunt permutari coram Ordinario, & non ſubſiſtit permutatio ſine conſenſu Patronorum. Talis eſt autem permutatio facta inter Lucam, & Cajum. Enimvero Patronus beneficii ſuum ad permutationem conſenſum non præſtitit, immo facta eſt, ipſo irrequiſito ut patet ex eadem caſus expoſitione. Dicendum igitur, non ſubſiſtere, ut habemus in Clementina citata: *Inferiores, quorum eſt conferre,*

ferre, *vel eligere*, *habent conſentire*: *ſine quorum conſenſu ſi conferantur beneficia*, *nullius volumus eſſe firmitatis*. Sanctiones ergo Canonicæ vetant, irritaſque declarant permutationes beneficiorum factas ſine conſenſu Patronorum; idcirco non ſubſiſtit permutatio, de qua in caſu. Hanc opinionem jure meritoque tuentur Lambertinus *de jure patronatus part.* 2. *lib.* 2. *art.* 6. *qu.* 6. *num.* 6., Joannes Lapo *allegatione* 26., Barboſa *lib.* 3. *Juris Eccleſ. univ. cap* 15. *num.* 182., Moneta *de commutatione ultimæ voluntatis cap.* 10. *num.* 369., Stephanus Gratiano *diſcept. for. cap.* 835., Garzias *de benef. lib.* 2. *queſt.* 14., Rebuffus *de permut. lib.* 6., Cardinalis de Luca *de benef.*, & Rota Romana *in deciſione* habita *die* 8 *Martii an.* 1627., & in altera die 21. *Feb. an.* 1628. coram Domino Pirrovano, quas affert Barboſa *in loco citato*.

Hactenus dicta evidentiſſima ratione confirmantur. In actibus, qui aliis poſſunt eſſe præjudiciales, ſemper requiritur conſenſus eorum, quorum intereſt: ipſorum porro Patronorum intereſt, ne, ipſis neglectis, aliqui inſtituantur in beneficiis forte ipſis infenſi, & inimici, ut in *Cap. Monaſterium* 33. *cauſ.* 16.; & probant Rota Romana *parte* 1. *recentiorum deciſionum deciſ.* 427., & Gonzales *ad regulam* 8. *Cancellariæ* cum aliis pluribus. Hinc eſt, quod, ſi permutatio fiat ſine conſenſu Patronorum, & ipſi reclament, nedum eſt nulla,

verum

verum etiam vacat beneficium, & poteſt a Patronis præſentari alius poſt ſententiam de nullitate inducente vacationem: ita Garzias, Lambertinus, & Cardinalis de Luca *locis citatis*. Ex dictis ſequitur nedum irritam eſſe permutationem, de qua in caſu, ſed Patronum beneficii Lucæ poſt ſententiam poſſe præſentare alium. Iiſdem rationibus Cardinalis De Luca *de benef. diſc. 40.* probat, permutationem etiam factam coram Summo Pontifice ſine conſenſu Patroni fore irritam, reclamante Patrono.

Deciſio hæc noſtra luculenter etiam eruitur I. ex Regula Juris antiqui *num. 11. Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt*: II. ex Regula ex corpore Juris Canonici, ſive Pontificii deſumpta *num. 64.*, quæ eſt Bonifacii VIII.: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; quam ſic explicat Reinffeſtuel *Cap. 2. de Regulis Juris in 6. num. 7.*: *Quidquid agitur contra jus, ideſt contra canonem, aut legem, qua actus irritatur, vel nullus declaratur, aut illius forma ſubſtantialis præſcribitur, invalidum eſt, aut pro infecto habetur.* Verum in caſu, permutatio beneficii facta eſt contra jus, & legem, qua actus irritatur; idcirco invalida eſt, & pro infecta haberi debet. Neque ex hoc dici poteſt, Patronum reclamantem contra permutationem contemnere Epiſcopum, qui cauſſas approbavit: juxta enim

enim commune axioma, *nemini injuriam facit, qui jure ſuo utitur, ut in leg. Injuriarum §. 1., leg. Jurejurando, leg. Quod Reſpublicæ, & leg. Injuriam §. De injuriis*; quod etiam probat Innocentius III. *in Cap. Cum Eccleſia 31. de electione*.

Superior doctrina limitanda eſt, ut notat Cl. Berardi *in Comment. in Jus Eccleſ. tom. 2. diſſ.* 4. *cap. 8.* hiſce verbis: *Quandoque a Prælato permutatio* (beneficiorum) *admitti poteſt etiam irrequiſito Patrono, nimirum iis in caſibus, in quibus non intereſt Clericorum permutantium, ſed intereſt Eccleſiæ ex ſingulari neceſſaria cauſſa juxta ea, quæ docet Faber in codice lib. 6. tit. 1. def. 2.*

Ad II. Barboſa *lib. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 12. num. 254.*, Vivianus *in praxi juriſpatr. lib. 15. cap. 2. n. 10.*, & alii cenſent, Patronum ob mutilationem amiſiſſe juſpatronatus. Verumtamen negativam opinionem tute poſſe defendi arbitror. Siquod enim eſt argumentum, quo probari poſſit ejuſmodi amiſſio, illud eſt deſumptum ex *Capite 12. In quibuſdam. De pœnis*. En verba Canonis: *Sacri Concilii approbatione ſtatuimus, quatenus ſi Patroni alicujus Eccleſiæ Rectorem, vel Clericum alium ipſius Eccleſiæ, per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare auſu nefando præſumpſerint, juſpatronatus prorſus amittant. Et ne minus vindictæ, quam exceſſus memoria prorogetur, non ſolum de præmiſſis nihil perveniat ad hæredes, ſed etiam*

uſque

uſque ad quartam generationem poſteritates talium in Clericorum Collegium nullatenus admittantur: neque in Domibus Regularibus alicujus prælationis aſſequantur honorem, niſi cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum. Verba Canonis perpendamus: ex iis colligitur, quod ut Patronus amittat jus præſentandi Rectorem, oportet, ut per ſe, vel per alium interfecerit, aut mutilaverit Rectorem illius Eccleſiæ, cujus erat patronus; quocirca, ut ſimiliter amittat jus nominandi Clericum ad beneficium, ex verbis ejuſdem Canonis neceſſe eſt, quod interfecerit Clericum, vel mutilaverit ab ipſo beneficiatum, ſcilicet qui habebat beneficium, cujus ipſe erat Patronus. Verumtamen in caſu Patronus laceſſitus mutilans Cajum non mutilavit habentem ſuum beneficium; inferendum igitur, ipſum per dictum Canonem non amiſiſſe juspatronatus; beneficium enim jurispatronatus erat apud Lucam, non apud Cajum: ſi Lucam mutilaſſet, amiſiſſet; mutilavit Cajum, ergo non amiſit. Verba etenim legis intelligenda ſunt, prout ſonant: in Canone autem habetur *Rectorem, vel Clericum ipſius Eccleſiæ*, & omnes Auctores, qui citant hanc decretalem, utuntur verbis *ipſius, illius Eccleſiæ*, nunquam *cujuſcunque Eccleſiæ*. Sic Benedictus XIV. *in cit. lib., & cap. de Syn. Diœc. num.* 21. habet: *Qui juspatronatus obtinet alicujus Eccleſiæ, ejuſdem Rectorem interficiat*: Giraldi *in par.* 1. *ex*

lib. v.

lib. v. Decretalium tit. 37. de pœnis ſect. 903. habet : *Patronus alicujus Eccleſiæ , qui illius Rectorem interfecerit*; denique ceteris omiſſis Gaſparrus *part.* 1. *Inſtit. Juris Canonici tit.* 12. ſcribit : *Amittitur juſpatronatus ob delicta Patroni, quorum primum eſt, ſi Rectorem, vel alium Clericum Eccleſiæ patronatæ per ſe, vel per alium occiderit , vel mutilaverit*. Notanda ſunt verba *ejuſdem*, *ipſius* , *illius Eccleſiæ patronatæ*: id profecto non verificatur in Patrono, de quo loquimur , (niſi ſubſiſteret permutatio ex ſupra notatis cum Berardi) non igitur amiſit juſpatronatus : ſequeretur aliter occiſorem , mutilatorem cujuſcunque Clerici cujuſcunque Diæceſis , habentem aliquod juſpatronatus ſegregatum penitus a Clerico occiſo, aut mutilato , illud ſtatim amittere ; quod quam falſum ſit nemo eſt, qui non videat . Dicendum igitur , citatos ſuperius Auctores velle Patronum amittere juſpatronatus , ſi interfecerit, vel mutilaverit Rectorem ipſius Eccleſiæ , illius Eccleſiæ , ejuſdem Eccleſiæ , cujus erat Patronus , non cujuſcunque Eccleſiæ .

Tertium dubium oritur ex verbis citati *Cap.* 12. *de pœnis* : *Niſi cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum* . „ Hæc verba (ita ad rem „ laudatus Berardi *loco ſupra cit.*) occaſionem „ præbuerunt Interpretibus diſputandi , an „ ſufficeret diſpenſatio Ordinarii , an a ſola „ Apoſtolica Sede eſſet expectanda . Qui tra-

„ dunt

„ dunt, ſufficere diſpenſationem Ordinarii, innituntur ſolido generali principio, quod „ ſuadet, liberam ſemper eſſe poteſtatem „ Ordinariorum, quouſque non conſtet de „ expreſſa reſervatione. Qui contra ſentiunt, „ ajunt, conſultius eſſe id Sedi Apoſtolicæ „ reſervari; propterea quod cautius Patroni „ ſe ſe gererent in hac re, dum ſublatam „ agnoſcerent Ordinariis diſpenſandi facultatem. Hæc ratio meo judicio nihil aliud „ probat, quam æquam futuram reſervationem, ſi fieret, non vero probat de reſervatione facta conſtare „. Concludendum ergo cum Gloſſa *in cit. Cap. 12.* verbo *diſpenſatum: Quum non determinetur, a quo poſſit diſpenſari, dicit Joannes, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare, ex quo Papa ſpecialiter non retinuit ſibi diſpenſationem.*

Mense Februario.

Lucius de conſilio Fulgentii mandavit Alberto, ut Eleonoram occideret. Horruit Albertus, facinus exequi ſe nolle proteſtatur, & abiit. Inopinato ſibi occurrit Eleonora, mandatum exequi deliberat, eamque mortaliter vulnerat. Facti pœnitens accedit ad Confeſſarium, qui audito ſcelere differt abſolutionem ad certos dies; quibus elapſis, & interim mortua Eleonora, Albertus ad Con-

Confeſſarium rediens abſolutionem petit, quam veretur impertire Confeſſarius non habens facultatem a reſervatis.

Quæritur I. An Confeſſarius abſolvere poſſit Albertum.

II. An Lucius & Fulgentius in reſervatum, & irregularitatem inciderint.

III. An mandans revocato mandato, & conſulens revocato conſilio, licet inde ſequatur occiſio, irregularitatem, & reſervationem effugiant.

DECISIO.

Inter caſus in noſtra Genuenſi Diœceſi reſervatos adeſt num. III. *Homicidium voluntarium, non tantum quoad committentes, ſed etiam quoad mandantes, & conſulentes, & quomodolibet cooperantes, effectu ſequuto*. Poterat igitur Confeſſarius ante ſequutam Eleonoræ mortem abſolutionem Alberto impertiri, quia nondum inciderat in reſervatum. At poſteaquam mors Eleonoræ ſequuta eſt, anne Confeſſarius eadem facultate pollebit? Certum eſt in primis, reſervationem nihil aliud eſſe, quam negationem vel ablationem juriſdictionis, quam Superior poteſt inferiori Sacerdoti negare, vel collatam auferre, ideoque cadere per ſe & primario ſuper Confeſſarium, prout ab Eugenio IV. definitum eſt, ut poſt Caje-

Cajetanum notat Natalis Alexander *Theolog. dogmat. tom.* 1. *pag.* 602. Quare Confeſſarius nullam habens de reſervatis poteſtatem, nullo pacto poteſt circa eadem ſe tanquam Judicem gerere. Hæc autem poteſtas ex præaudita pœnitentis Confeſſione cenſeri nullatenus poteſt eidem Confeſſario acquiſita. Nam utcunque verum ſit, quod juriſdictio ſemel habita prorogetur in Judice delegato, incepta ſemel cauſſa in ejus foro: ex quo inferunt communiter Theologi, quod quando ex Cruciata durante anno poterat aliquis abſolvere, & cœpit audire confeſſionem, quæ ob legitimum impedimentum perfici non potuit niſi tranſacto anno Cruciatæ, adhuc poſſit abſolutionem impertiri: & quod ſimplex Sacerdos habens juriſdictionem in articulo mortis ob defectum Confeſſarii approbati, ſi incepta confeſſione adveniat Sacerdos approbatus, poſſit adhuc idem ſimplex Sacerdos eamdem confeſſionem proſequi & abſolvere: & ex quo demum uti probabile ducit De Lugo *Reſp. moral. lib.* 1. *dub.* 25., poſſe quempiam Confeſſarium ſimpliciter ad audiendas confeſſiones delegatum abſolvere eum, qui cœpit confiteri, & confeſſus eſt aliquod peccatum, quod tunc non erat reſervatum, reſervatum tamen fuit interim, quando eadem confeſſio interrupta remanſit; nihilo tamen minus hæc nullo pacto procedunt in

caſu

caſu noſtro. Differt enim perquam maxime juriſdictionis prorogatio ab ejuſdem collatione ſeu ampliatione. Illa nihil aliud eſt quam jam habitæ facultatis ad longius tempus protractio: iſta autem eſt facultatis non habitæ omnino nova conceſſio. In allatis caſibus nulla accedere debet Confeſſariis, quam non habeant, facultas; utpote qui eadem præditi ſupponuntur, ſed tantum ejuſdem poteſtatis longior extenſio, quæ ex inchoatione judicii, tempore habili, facilius emergit. At in noſtro Confeſſarius omnimoda quoad reſervata ſemper extitit poteſtate deſtitutus, ideoque inchoatio antedicta non poteſt eidem novum jus, novamque facultatem ex ſe ſola conferre.

Neque quidquam facit quod in contrarium ait Manzi *tractat. de Caſ. reſerv. p. 1. q. 2. caſ. 3. §. 2.* videlicet „Quod quando facta eſt „Confeſſio nondum ſequuta morte vulnerati, „Confeſſarius habebat facultatem ſuper homi„cidam: etſi autem mors ante abſolutionem „contigerit, non propterea talis facultas ceſſa„vit in Confeſſario, nam res non erat amplius „integra.„ Quoad enim rei non integritatem jam reſponſum eſt ſuperius, oſtendendo hanc equidem prodeſſe poſſe, ad hoc ut illa jam exiſtens facultas, quæ alioquin ob ceſſationem aut temporis, aut cauſſæ, cui alligata remanet, ceſſare quoque deberet, nihilominus per-

perſeveret; non autem ad eamdem extra eos fines, ad quos prius non extendebatur, ampliandam. Quoad aliud vero, quod pro ſuppoſito aſſumit idem Manzi, ſcilicet quod nondum ſequuta morte vulnerati Confeſſarius haberet facultatem ſuper homicidam, hoc cum diſtinctione procedit: non enim habebat facultatem Confeſſarius ſuper Albertum homicidam, prout homicidam, ſed ſolummodo prout vulnerantem: adeoque poſteaquam vulnus in homicidium tranſivit, jam mutata extitit judicii materia, ſuper qua utpote numquam judicium inceptum, ſic etiam prorogationis eſt incapax.

Multo minus obeſſe poteſt prejactæ reſolutioni id, quod addit idem Manzi *cit. loc.*, ſcilicet „Quod quando reſervatio exigit actum com„pletum (ut in caſu) interpoſita retractatio „inter actum inceptum, ejuſque complemen„tum, interrumpit, ne prava voluntas in dictum „complementum feratur, adeoque adimit re„ſervationem, quæ quum ſit odioſa, reſtringi „debet ad actum completum, quando in com„plementum illud intelligitur moraliter ferri „prava voluntas.„ Ultra quamquod enim tota hæc ratiocinatio falſo laborat fundamento, videlicet quod in caſu dubietatis reſervationis ceſſet reſervatio, ac proinde credulitas, imo quoque dubietas in Confeſſario de retractatione voluntatis Pœnitentis dubiam reddat, & conſequen-

ſequenter nullam reſervationem, quod in dubio juris, prout in noſtro caſu etiam intervenit, falſum abſolute eſſe, in dubio autem facti perquam incertum firmatum habetur in Deciſione Caſus Aprilis in reſponſione ad primum: eadem fortaſſis duceret ad intentum, ſi reſervatio per ſe & primario ſuper pœnitentem caderet, non ſuper Confeſſarium; tunc etenim facilius ſtatus & diſpoſitionum mutationes in pœnitente intercedentes ejuſdem reſervationis inducere valerent effugium. At cum id ab initio falſum demonſtratum ſit, quomodonam poterit Confeſſarius, qui reſervationem peccati inſpicere non debet in ordine ad tempus, quo commiſſum, aut confeſſum eſt, ſed pro tempore, quo abſolvitur, quique ſibi videt legem indictam, ſeu verius poteſtatem denegatam de abſolvendo a voluntario homicidio effectu ſequuto, contra ejuſdem legis verificata verba, & ex interjectis pœnitentis diſpoſitionibus abſolvendi facultatem uſurpare? Anne quia inter lethale vulnus commiſſum, effectumque mortis ſequutum retractatio interceſſit voluntatis, homicidium non eſt amplius voluntarium cum conſequutione effectus? Lex, in caſu, poteſtatem adimens non requirit voluntatem interimendi continuatam uſque ad effectus conſequutionem, alioquin & ſola interna voluntatis retractatio ſtatim poſt infli-

ctum

ctum vulnus, etiam abſque confeſſione mortem præcedente, ſufficeret ad reſervationem effugiendam, ſed requirit dumtaxat inflictionem vulneris mortiferi voluntariam; & in tantum exigit, quod etiam mors ſubſequatur, quia de regula reſervationis eſt, quod peccatum reſervatum debeat jam proceſſiſſe in actum externum habentem ex ſe illam totam malitiam, quæ reſervationis eſt ſcopus: eo vel magis quod ſicuti ſola voluntas interna etiam cujuſcunque flagitii reſervationi ſubjecti, non reſervatur; ita neque mutata voluntas, deſtituta tamen effectus mutatione, non poteſt reſervationis evaſionem inducere.

Ad II. Affirmative reſpondendum quoad utramque partem. Quandoquidem circa reſervatum clara eſt littera legis Diæceſanæ, quæ *homicidium voluntarium non tantum quoad committentes, ſed etiam quoad mandantes, & conſulentes effectu ſequuto* reſervationi vult ſuppoſitum: circa irregularitatem claræ etiam ſunt diſpoſitiones Sacrorum Canonum, quarum ope aſſequimur, irregularitatem ex voluntario homicidio proficiſcentem extendi ad mandantes, conſulentes, aut alio quovis modo efficaciter cooperantes. Ita ſtatutum legitur in *Can. Si quis viduam diſtinct. 50.*, in *Can. Si quis poſt Baptiſmum diſtinct. 51.*, in *Cap. Sicut dignum*, & in *Cap. Significaſti cit. jam tit. De Homic. vol. vel caſ.*: quarum omnium Eccle-

ſticarum legum ratio ea eſt, quia pari paſſu in hac materia ambulant occidens, mandans & conſulens; tum quia qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur, *L. Quod. juſſu ff. de Reg. jur.*; tum quia qui cauſſam damni dat damnum dediſſe videtur, *L. Is damnum ff. eod.* Neque aliud inter occidentem, & eos, qui aut mandant, aut conſulunt, diſcrimen eſt, niſi quod manibus alter, alii lingua mortem inferre dicuntur; ex aurea doctrina S. Auguſtini, de qua *in Can. Pernicioſe diſtinct.* 1. *de pœnit.* Quæ omnia apprime convincunt, Eccleſiæ Canones præfatas omnes perſonas eidem cenſuræ jure merito ſubjeciſſe, ut quos culpa conjunxit pœna non ſeparet; dignum quippe eſt, quod facientes, & conſentientes par pœna conſtringat ad tradita *in Cap. Quantæ 47. de ſent. excomm., & in Can. 10. cauſſ. 2. q. 1.*

Neque ex adverſo eſt hic reponenda Alberti proteſtatio de non exequendo mandato, cujus ſub obtutu Lucius forte aſſerit nullum ſibi præjudicium irrogari potuiſſe a mandato, quod mandatarius non acceptaverit, immo & expreſſe recuſaverit. Nam omiſſo quod ſubſequens executio mandati importat realem ejuſdem acceptationem, quæ verbali validior eſt, eaque ad tempus antecedentis mandati retrotrahi poſſe videtur, hoc inquam omiſſo, objectum retunditur ex eo, quod mandatum de occidendo ſemel ac prolatum fuit, utcum-

que

que mandatarius abnuerit, adhuc impreſſum remanet in ejus mente, neque expreſſa aut tacita revocatione ceſſante evaneſcere poteſt, ſed ſemper manet cauſſa moralis tam reſervati, quam irregularitatis; ad quas proinde incurrendas ſufficit poſitio mandati de occidendo, & ejus executio; nilque intereſt, an mandatarius a principio conſentiens, aut diſſentiens fuerit, dummodo ex poſt, ut in caſu, ante revocationem mandantis mandatum exequi deliberaverit, ut communiter ſentiunt Moraliſtæ, ſignanter Salmanticenſes *tract. de cenſur. cap. 8. punct. 1. n. 8.*, & *ex* Suarezio, Sayro, Bonacina, & aliis doctiſſimus Honoratus Tournely *in egregio tract. de irreg. cap.* 1. *art.* 2., quod adeo verum eſt, ut ex ipſo Tournely, aliiſque ſanioris doctrinæ auctoribus protendatur ad caſum, quo mandati executio acceſſerit, poſteaquam mandans in contrariam abierit ſententiam, mandatario tamen non patefactam, quia ſterilis hæc pœnitentia mandatum non tollit, & aliunde Eccleſia non judicat de internis, quorum cognitio reſervata eſt ſoli Deo, qui ſcrutatur renes, & corda.

Ad III. quod attinet, prima quæſiti pars, quæ mandantem reſpicit, facilis eſt ſolutionis. Indubitati ſiquidem juris eſt, tam reſervationem, quam irregularitatem ceſſare per expreſſam, vel tacitam mandati revoca-

tionem, quæ ad notitiam mandatarii, re integra, pervenerit. Dixi *per expreſſam, vel tacitam revocationem*, quia ceſſant omnino dictæ pœnæ, ſive mandatum revocetur expreſſe, ſive tacite, ex. gr. medio pacis, reconciliationis, parentelæ, ſeu amicitiæ palam, & publice a mandante initæ cum occidendo. Addidi *quæ ad notitiam mandatarii pervenerit*, quia ſive expreſſa, ſive tacita revocatio, ubi mandatario non innoteſcat, nullius eſt efficaciæ, at data mandatarii ſcientia ſuum operatur effectum; homicidium quippe tali caſu non mandanti, ſed exequenti imputandum eſt, in quem duntaxat pœnæ ſuperius expoſitæ tenaciter intorquentur. Et in hoc omnes Moraliſtæ conveniunt in ſequendo anteſignanum *Innocentium IV.* in explicatione *Can. Ad audientiam de homic. vol. vel caſual.*

Non ita res ſe habet relate ad alteram partem, quæ reſpicit conſulentem, circa quam tres ſunt opiniones DD., quorum alii affirmativam, alii negativam abſolute tuentur, alii vero diſtingunt inter ſimplicem conſilii revocationem, & eam, quæ rationibus ſuffulta ſit ad diſſuadendum efficaciter conducentibus, & primo caſu negative, ſecundo vero affirmative reſolvunt.

In tanta opinionum varietate nec prima, nec ſecunda mihi videtur amplectenda, bene vero ea, quæ poſtremo loco allata fuit. Non prima,

prima, quæ abſolute affirmat; nam æquivocum manifeſtum involvit ea, cui innititur, a mandato ad conſilium argumentatio; toto enim cælo diſtat conſilium a mandato, cum hoc detur in gratiam mandantis, illud in gratiam ejus, qui conſulitur teſte Bartolo *in L. Non ſolum §. Si mandato meo ff. de injur.* Patet hinc ab uno ad alterum inferri non poſſe; idcirco ſiquidem revocato mandato effugiuntur pœnæ mandanti inflictæ, quia cauſſa moralis homicidii in mandato ſita per ejus revocationem collabitur; ſed id non procedit in conſulente, qui revocando conſilium non aufert vim antecedentis peſſimæ perſuaſionis, in qua cauſſa moralis homicidii ſita eſt, quæque non ſimplici revocatione, ſed contraria tantum diſſuaſione deletur.

Non ſecunda, quæ abſolute negat; Eſto quod tempore opportuno a conſulente adductæ fuerint rationes pro diſſuadendo crimine efficaciſſimæ: Aſpera nempe, & rigoroſa nimis eſt hæc opinio tamquam ea, quæ rem ad impoſſibile deducit, & habet contra ſe tum Civilis, tum Canonici Juris regulas, quibus ſancitum novimus, rem omnem per quaſcunque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvi, & nihil tam naturale eſſe, quam eo genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt *Cap. 1. de reg. jur. in 5. Decret., & in L. 36. ff. de reg. jur.*: habet contra ſe naturale principium,

cipium, quod vult contraria contrariis eſſe curanda: habet denique contra ſe rationem illam inſuperabilem, quod ſi conſulens in ſe reverſus facit quantum poteſt diſſuadendo, & allegando rationes ad hunc effectum de ſe ſufficientes, quamvis illis non obſtantibus homicidium ſequatur, illud exequentis malitiæ unice tribuendum eſt, neque dici poteſt perpetratum ex vi conſilii jam per contrariam, beneque fundatam diſſuaſionem deſtructi, ſeu exinaniti; quæ diſſuaſio, cum extinguat cauſſam moraliter influentem in homicidium, tutum omnino reddit conſulentem a pœnis, quæ ſine ſua cauſſa ſubſiſtere non poſſunt. Porro *cum principalis cauſſa non conſiſtat, nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent L.* 139. *ff. de reg. jur.*

Tertia itaque remanet opinio, quam in ſpecie tenent Giballin. *tract. de cenſur. diſquiſ.* 5. *q.* 3. *n.* 27., Cuniliati *tract* 9. *cap.* 5. §. 13. *v.* 4., & Tournely *tract. de irreg. p.* 3. *cap.* 1. *art.* 1. *q.* 3., cum quibus & ego tutius diſtinguendum reor, quod nempe aut conſulens revocat ſimpliciter conſilium, nullas allegando rationes pro ſcelere diſſuadendo, & tunc, eo commiſſo, una cum exequente cadit in irregularitatem, & ex rationibus adductis etiam in reſervatum: aut ultra revocationem procedit ad rationes, & fundamenta, quæ in delictum influere poterant, quantum ex ſe eſt,

eſt, evellenda, & tunc ſola occidentis perſona, cujus malitiæ tota delicti ratio adſcribenda eſt, prærelatis pœnis obnoxia cenſenda eſt, non autem perſona conſulentis, cui duntaxat onus incumbit caute, & prudenter admonendi illum, de cujus morte tractatum eſt, ut ſibi caveat, quoties probabilis timor emergat ejus occiſionis a conſulto forſitan peragendæ etiam poſt auditas rationes ad diſſuadendum allatas: ut opportune docent Auctores paullo ſuperius laudati, quibus facem præbet jam laudatus Innocentius IV. *in cit. cap. Ad audientiam*.

Dixi ex rationibus adductis: nam in noſtra Genuenſi Diæceſi ſicut mandans revocato mandato, ita ſine ullo diſcrimine conſulens revocato conſilio, licet inde ſequatur occiſio, reſervationem effugiunt. Vide declarationem caſuum reſervatorum *caſ.* 3. editam a fel. rec. Joſepho Maria de Saporitis, quam declarationem etiam approbavit, confirmavitque vigilantiſſimus noſter Archiepiſcopus

Mense Martio.

Pulcheria, ab abſtinentia carnium de conſilio Medici diſpenſata, licitas epulas cum interdictis non miſcet diebus jejunii, ſecus vero feriis ſextis, & ſabbatis per annum: item plura occulte ſubripit marito, quia plura ſæpe

ſæpe amittit in ludis, in quibus etiam in Quadrageſima magnam partem noctis inſumit. Terillus Confeſſarius eam abſolvit abſque ulla monitione, quia plene credidit ejus aſſertioni; quod ſcilicet non ſit ſatis integra valetudine, & quod ſecundum conditionem ſui ſtatus a ludis nequeat abſtinere. Poſt aliquod tempus Terillus, dum legit Canonem *Contraria. de Conſecr. diſt. 4.* de Pulcheria recordatur, cujus notitiam quærens intelligit, ipſam cum marito obærato cœlum mutaſſe.

Quæritur I. An Confeſſarii Medicorum diſpenſationibus ab abſtinentia carnium, vel jejunio paſſim debeant acquieſcere.

II. An non ſolum diebus jejunii, verum etiam feriis ſextis, & ſabbatis per annum abſtinendum ſit ab epulis licitis ſimul & interdictis.

III. An Terillus bene ſe geſſerit; & ad quid teneatur.

DECISIO.

AD I. Reſpondeo, Confeſſarios ſollicitos quidem eſſe debere, num legitima, aut potius fucata ſubſit in Pœnitente diſpenſationis obtinendæ cauſſa, neque multum faciles ſe præſtare in admittendis Medicorum diſpenſationibus, a quibus aucupandis abſtinendum monet citatus Canon *Contraria, de Conſecr. diſt.*

diſt. 4 , ubi ait: *Qui ſe Medicis dederit , ſe ipſum ſibi abnegat.* Quare Benedictus XIV. in *Conſtit. Non amplius* edita 30. *Maii an.* 1741. diſpenſationem a Quadrageſimali obſervantia nonniſi de *utriuſque medici* conſilio concedendam præcipit . Nihilominus tamen , cum in Pœnitentiæ Tribunali non Phyſicos agere ad corporis languores curandos , ſed inter lepram, & lepram ſpiritualem duntaxat diſcernendo, animarum infirmitatibus mederi debeant , & ad peccatorum ſolutionem ſecundum acta , & probata , ut ajunt, procedere , relicto interiori judicio ſoli Deo , qui unus renes , & corda ſcrutatur; hinc ipſorum partes ſunt hac in re , ſerio quidem Pœnitentes monere de gravitate peccati , quod committitur ex obtenta temere violandæ Quadrageſimæ facultate ; ſed & tandem probatorum Medicorum teſtimoniis acquieſcere , qui ſoli de proximo, certoque , aut ſaltem dubio (quod ad diſpenſationem ſufficere non improbat poſt Paſqualigum Benedictus XIV.) ingruentis morbi periculo judicium ferre poſſunt . Certe & S. Gregorius Romanus Pontifex Marinianum Ravennæ Epiſcopum a ſervando Quadrageſimali jejunio abſolvit , propterea quod ex Medicorum conſulto acceperat, ſanguinis eruptionem , qua plurimum laborabat Marinianus, jejuniis , ac eſurialibus cibis ingraveſcere : *Quoniam* (ſunt dicti Pontificis verba in *epiſt.*

28. lib.

28. lib. 9.) eruptionem ſanguinis patientibus jejunia Medici dicunt eſſe omnino contraria.

Ad II. Reſpondeo, abſtinentiam ab epulis licitis ſimul, & interdictis ſervandam eſſe etiam extra Quadrageſimam diebus quidem jejunio Eccleſiaſtico conſecratis, non autem ſextis feriis, & ſabbatis, quibus ſola a certo ciborum genere indicitur abſtinentia. Id expreſſis utique verbis non legitur in reſponſo Benedicti XIV. ad Archiepiſcopum Compoſtellæ; ſed ex eodem dilucide, & per legitimum, ut ajunt, conſequens argumento a negatione deducto infertur. Siquidem excitato dubio, an extra Quadrageſimam ea duo urgerent præcepta de unica comeſtione, & de non permiſcendis epulis, reſcripſit memoratus Pontifex, *Urgere extra Quadrageſimam utrumque præceptum, illud ſcilicet unicæ comeſtionis, cum reliquis legibus in ſecundo, & tertio ad hæc poſtulata reſponſo expreſſis, & alterum non permiſcendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto poſtulato definitum eſt*. Ergo tunc ſolum urget præceptum de non miſcendis epulis, quando urget præceptum unicæ comeſtionis, horæ ſervandæ, & refectionis ſerotinæ, ut in ſecundo, & tertio poſtulato; ſed hæc extra Quadrageſimam ſolis vigiliis, & quatuor temporibus, non autem ſextis feriis, & ſabbatis urgent; ergo & interdictum de miſcendis epulis tenet quidem in vigiliis, & quatuor anni

anni temporibus, non autem ſextis feriis, & ſabbatis.

Facit hic generalis ille, omnibuſque acceptus legum interpretandarum Canon: *Exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis* juxta textum in *L. Quæſitum §. Denique ff. de Inſtructor.*, *L. Cum Prætor 12. ff. de judiciis*, *Cap. Qualis hinc. diſt. 25.*, *Cap. Dominus. cauſ. 32. q. 7.*, *Cap. Nonne. de Præſumptionib.*, & *Cap. 2. de conjug. leproſor.*, ibique exponentes. Nam, ut dicitur in Lege primo loco citata, *Qui hæc excepit non poteſt non videri de ceteris rebus, quæ in ea eſſent, ſenſiſſe*. Ergo ſi a permiſcendis epulis excepit Pontifex eos dies, in quibus unica ſervanda eſt comeſtio, non eſt cenſendus illos excepiſſe, in quibus plures licent comeſtiones, quales plane ſunt feriæ ſextæ, & ſabbata.

Sed quæ fuerit Benedicti Pontificis mens, clariſſime, ni fallor, ex ejuſdem Bulla, quæ incipit *In ſuprema*, eruitur. In ea igitur, reprobato in primis illorum errore, qui a Chriſtiana abhorrentes pœnitentia, ſibi aliiſque ſuadebant, unicam potiſſimum comeſtionem ſervari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, quum multitudini, non vero ſingulis diſpenſatur, expreſſis hiſce verbis definit: *Cum ... in Quadrageſima, aliiſque temporibus anni, & diebus, quibus carnium, ovorum, & laticinorum eſus eſt prohibitus, diſpenſari*

ſari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comeſtionem ſervandam, & licitas, atque interdictas epulas minime eſſe apponendas, tenore præſentium declaramus, & edicimus; quemadmodum per noſtras in pari forma Brevis litteras ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque diebus jejunio conſecratis, veſcendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expreſſe præſcribimus, atque præcipimus. Jam vero ex hac Benedicti Papæ definitione ii ſolum dies a miſcendis epulis proſcribuntur, qui duplici hoc diſtinguntur charactere: I. ſcilicet quod in ipſis carnium, & lacticiniorum uſus ſit prohibitus: II. quod Eccleſiaſtico jejunio ſint conſecrati; ſed in ſolis vigiliis, & quatuor temporibus, non autem in ſextis feriis, & ſabbatis per annum iſti duo verificantur characteres; ergo ad ſolas vigilias, & quatuor tempora, non vero ad ſextas ferias, & ſabbata extenditur de miſcendis epulis interdictum.

Ad primam partem III. quæſiti dico, quod Terillus Confeſſarius non recte ſui muneris partes implevit, Pulcheriam dimittendo ſine ulla monitione abſolutam. Vetus eſt, tritumque axioma, ægritudines corporis, æque ac animi vitia in dies augeri, ni prompte eradicentur, & coerceantur. Debuerat nimirum Pulcheriæ ſuadere, quantum a Chriſtiana aberret

ret pœnitentia potiſſimam noctis partem in ludis abſumere: *Non enim*, ut monet S. Leo *in ſerm. 41. in Quadrageſ. cap. 2.*, *in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma jejunii, aut fructuoſe corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur*. Debuerat eidem commonſtrare, quod genus peccati ſit rerum domeſticarum clandeſtina ſubreptio, monitumque illud S. Auguſtini in *Epiſt. 262. alias, 199.* ad Ecdiciam præ oculis ponere: *Nihil ergo de tua veſte, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacunque pecunia, vel rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio ejus* (ideſt viri) *facere debuiſti* ... *ſcribe ad eum ſatisfactionem, petens veniam, quia in eum peccaſti*. Loquitur hic Sanctus Doctor ad Ecdiciam, ad uxoratam ſcilicet, quæ bonorum ſuorum partem in pauperum levamen contulerat abſque viri conſenſu, putans ſe opus charitatis plenum exercere. Quid ergo dixiſſet, ſi bona id genus non in eleemoſynis, ſed in ludis conſumpſiſſet Ecdicia?

Quantumvis autem adhærendum non cenſeam ſententiæ S. Antonini, qui *p. 2 tit. 1. cap. 15.* docet., quod ſi patri filius familias, & uxor viro quidpiam ſurripiant, ad reſtitutionem teneantur; nihilominus hoc illicitum omnino eſſe, & pro furti ratione vel grave, vel leve peccatum eſſe, mihi perſuaſum eſt. Celebris eſt cenſura, qua Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus *an. 1700.* perſtrin-

ſtrinxit hanc propoſitionem : „ Poteſt uxor „ viro ſurripere pecuniam etiam ad luden- „ dum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut lu- „ dus honeſtus, pari loco cum alimentis ac „ victu habeatur. „ *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati peſſimas fallendi artes adjungit, & in vitam humanam neceſſitates inducit a Chriſtiana ſimplicitate abhorrentes.* Vide Nat. Alex. Thelog. Dogm. Mor. lib. 4. de Decal. cap. 9. art. 2.

Mense Aprili.

CONfeſſarius carens facultate a reſervatis negat abſolutionem Cornelio ob copulam habitam cum Flora, cujus filium jam ſuſceperat in Baptiſmate, & Confirmatione, & ob aliam copulam cum affine in primo gradu, eumque monet, per hanc ultimam amiſiſſe jus petendi debitum a propria uxore. Cornelius ſe liberum dicit a reſervatis, & a prædicto impedimento, quia Baptiſmus fuit ſub conditione collatus; quia ipſe nondum eſt confirmatus; quia tandem penitus ignorabat dictum impedimentum, quod, cum ſit pœna Eccleſiaſtica, non incurritur, niſi ſciatur.

Quæritur I. An Cornelius ob rationes adductas jus habeat ad abſolutionem, quin Confeſſarius eam amplius denegare valeat; & quid de impedimento petendi debitum.

II. Ad

II. An copulam habens cum affine in ſecundo gradu, ſicuti a reſervatione, ita a dicto impedimento declinet.

III. An qui habet facultatem ab omnibus reſervatis abſolvendi, poſſit etiam a dicto impedimento diſpenſare.

DECISIO.

UT facilior ad ſolutionem aditus pateat, nonnulla cenſeo præmittenda. Atque in primis exploratum ſatis, compertumque eſſe arbitror, caſuum reſervationem nihil aliud eſſe, quam negationem juriſdictionis ad aliquod peccatum abſolvendum; unde ſequitur I. per actum reſervationis principaliter, ac directe affici ſolummodo perſonam Confeſſarii, quatenus ejus juriſdictio arctatur, ac limitatur, & indirecte ſolum perſonam ipſius pœnitentis, eo quod a tali Confeſſario ob defectum juriſdictionis a caſu reſervato abſolvi non poſſit: ſic inter alios recte notat Fagnanus *in Caput Omnis utriuſque ſexus, 12. de pœnitentiis, & remiſs. n. 78. & ſeq.* Sequitur II. ſimplicem Confeſſarium, carentem facultate a reſervatis abſolvendi, ita ſe habere in ordine ad reſervata, ac ſi omni penitus juriſdictione deſtitueretur; ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. docente, Sacerdotes inferiores in reſervatis, excepto mortis arti-

culo, nihil poſſe, ſed id unum ipſis incumbere, ut pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.

Alterum animadverſione dignum id eſt, quod apud Caſuiſtas controvertitur, utrum ſcilicet peccata dubia reſervationi ſubjaceant.

P. Lucius Ferraris in ſua morali Bibliotheca *v. Reſervatio caſuum num. 40.* contendit, peccata dubia, vel dubium ſit facti, vel juris, ſive poſitivum, ſive negativum, minime cadere ſub reſervatione. Pro hac ſententia innumeros citat Probabiliſtas, Sporer, Henriquez, Suarez, Sanchez, Bonacinam, Dianam, Tamburinum, Maſtrium, Leandrum, Arſdetkin, Buſembaum, La Croix, Gobat, ac Felicem Poteſtatem, qui in ſuo Examine Eccleſiaſtico *num.* 3313 hæc habet: *Reſervatio, cum ſit odioſa, eſt benigne interpretanda; unde reſtringi debet ad peccata certo reſervata, non ad dubia, ſive dubium ſit juris, ſive facti.*

At contra ſentiunt melioris, ſaniorisque doctrinæ cum Antoine *tract. de pœnit. art.* 2. *q.* 2. Theologi, qui licet in dubio facti concedant peccata dubia reſervationem evadere, id negant de dubio juris. Et ſane ubi dubium juris occurrit circa Sacerdotis jurisdictionem, dubia manet ejuſdem auctoritas; at prudentis non eſt, in re tanti momenti, qualis eſt Sacramentalis abſolutio, dubia uti

pote-

poteſtate; ergo non poteſt Confeſſarius pœnitentem abſolvere, quem dubitat dubio juris in reſervationem incidiſſe, eo vel magis quod juxta regulam juris in dubio tutior pars ſit eligenda.

Tertio tandem animadvertatur oportet, latiſſimum intercedere diſcrimen reſervationem inter & impedimentum. Nam reſervatio, uti ſupra attigi, perſonam Confeſſarii directe afficit, ejus juriſdictionem limitando, & coarctando; impedimentum vero ſuper perſonam pœnitentis directe cadit, quatenus eum inhabilem reddit vel ad matrimonium contrahendum, vel ad contractum exequendum. Hinc impedimentum petendi debitum conjugale nedum viros afficit, ſed etiam mulieres, quod in reſervatione minime contingit: & latius patet hoc impedimentum, quam ipſamet reſervatio, cum ad eos gradus extendatur, in quibus vetitum eſt Jure Canonico matrimonium, quemadmodum in ſuis Paſtoralibus Inſtructionibus monet felic. record. Joſeph Maria de Saporitis *in declaratione caſuum reſervator. caſ. 7.*

Hiſce præjactis, haud difficulter propoſiti caſus enodatio emergit. Atque in primis quod attinet ad priorem primi quæſiti partem, dato & non conceſſo, quod rationes adductæ a Cornelio ipſum aliquatenus excuſare valeant ab inceſtu in primo gradu cognatio-

nis ſpiritualis, quominus reſervationi obnoxius eſſe cenſeatur; profecto non video, quomodo eumdem vindicare poſſint a reſervatione inceſtus in primo gradu affinitatis. Quippe allatæ rationes, quod nempe infans, quem Cornelius ſuſcepit, baptizatus fuerit ſub conditione, quod ipſe Cornelius nondum ſit confirmatus, nihil faciunt ad intentum Cornelii, neque jus ipſi acquirunt ad abſolutionem; nam hiſce rationibus non obſtantibus tali reatu Cornelius adſtringitur, cui ſolvendo par non eſt limitata ſimplicis Confeſſarii facultas. Ergo non poteſt in dicta hypotheſi beneficio abſolutionis gaudere; niſi forte dicamus cum laxioribus, & damnatis Caſuiſtis, poſſe interim abſolvi Cornelium a non reſervatis, ut deinde pro reſervatis Superiorem adeat, a quo abſolvatur. At hæc ſententia quam erronea ſit, & abſurda, docet inter alios Clariſſimus Sylvius *in ſup. ad 3. part. quæſt. 30. art. 2.* inquiens, quod extra periculum mortis, & citra conſenſum Superioris non poſſit inferior Sacerdos pœnitentem, qui habet caſus reſervatos, ne abſolvere quidem a non reſervatis, niſi prius pro reſervatis abſolutionem obtinuerit; quia unum peccatum, (& en potiorem, ut arbitror, rationem ex Angelico Præceptore noſtro depromptam) ſine alio remitti non poteſt. Inferior autem remittere non poteſt reſervatum, ergo nec alia.

Verum

Verum ne ab inceſtu quidem in primo cognationis ſpiritualis gradu Cornelium eximunt recenſitæ rationes, ut adeo reſervationis vinculum effugere nequeat. Siquidem prima ratio ex Baptiſmo conditionato deducta nulla eſt. Ideo enim Baptiſmus fuit ſub conditione collatus, quia dubium valde probabile occurrit, an infans necne antea eſſet baptizatus. Hoc dubium porro in noſtro caſu perſeverare ſupponitur; dubio autem perſeverante, ſubdit egregie ad rem noſtram doctiſſimus Reiffenſtuel *in lib. 4. Decret. tit.* 11., præſumit Eccleſia cognationem; ergo Baptiſma conditionatum præſumptivam inducit cognationem; atqui ex motivo ſpiritualis cognationis reſervatur inceſtus; ergo & reſervationem præſumi in tali caſu neceſſe eſt.

Scio quidem ex Baptiſmo invalide collato nullam ſequi cognationem ſpiritualem; quia, cum ex Baptiſmo nulliter collato nulla fiat regeneratio ſpiritualis, nulla quoque conſurgit paternitas, vel compaternitas, aut filiatio ſpiritualis, quia quod nullum eſt, nullum producit effectum, *Cap. Illud* 8. *de jurepatron.* At ſecus dicendum de Baptiſmate conditionato, quod præſumitur eſſe validum, donec de præcedentis Baptiſmatis veritate legitime conſtet.

Hoc unum ex dicta hypotheſi inferri poteſt, dubium eſſe tale Baptiſma, adeoque

dubiam eſſe cognationem ſpiritualem, & conſequenter in dubio verſari prædicti inceſtus reſervationem. Quoniam vero dubium hujuſmodi non tam facti, quam juris eſſe videtur; propterea quod per copulam habitam cum Flora, cujus filium Cornelius ſuſceperat in tali Baptiſmo, inceſtus præſumitur, idcirco ſubeſt reſervationi juxta ſuperius notata; nec poteſt in tali dubio Confeſſarium adigere Cornelius, ut nullitatis periculo exponat cum graviſſimo animæ ſuæ diſcrimine ſacramentalem abſolutionem.

Accedit, quod Clemens VIII. anno 1601. omnibus Confeſſariis in Italia degentibus etiam privilegiatis diſtricte prohibuit, ne a caſibus in Bulla Cænæ ſive *clare* ſive *dubie* contentis abſolvere præſumant. Quod autem valet de caſibus Summo Pontifici reſervatis, valere etiam debet de caſibus reſervatis Epiſcopo, quod ſcilicet peccata utcumque dubia in iis contenta reſervationi ſubjiciantur; ergo etiamſi inceſtus Cornelii ratione Baptiſmi ſub conditione collati non clare, ſed dubie in caſibus Archiepiſcopo noſtro reſervatis contineatur, non poteſt tamen a ſimplici Confeſſario Cornelius abſolvi.

Nec rem expediunt Felix Poteſtas, & Lucius Ferraris, dum aſſerunt Decretum Clementis VIII. temperatum fuiſſe per aliud poſterius emanatum, in quo clauſula illa *clare*

vel

vel *dubie* omittitur. Omiſſio quippe illius clauſulæ utpotè momentum pure negativum, nihil concludit. Neque enim probari poteſt, prius decretum fuiſſe abrogatum, & alterum loco illius ſubſtitutum; quod tamen probandum foret, ut ſilentium vim aliquam haberet.

Altera ex adductis rationibus omnino ſuffragaretur Cornelio, quoties ipſe in Confirmatione duntaxat infantem ſuſcepiſſet. Quemadmodum enim a Sacra Congregatione Concilii *die 13. Junii 1654. in cauſ. Lycienſi* ſancitum eſt, ſi Patrinus, vel Matrina confirmati non ſint, dum tenent in Confirmatione, nullam cum confirmato ſpiritualem cognationem contrahunt. At in noſtro caſu nedum in Confirmatione, ſed & in Baptiſmate Floræ filium Cornelius ſuſcepit; quare ex ſuſceptione Baptiſmatis ſpiritualem cum Flora cognationem contraxit, ac proinde cum ipſa peccans vere inceſtum commiſit. Res tota habetur in Jure clare ſtatuta *Can. in Bapt. 102. diſt. 4. de conſ.* ibi: *In Baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus*. Ubi adnotandum, quod in Patrino Baptiſmus requiritur ad Baptiſmum, Confirmatio ad Confirmationem, non autem utrumque ad Baptiſmum. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. p. 60. n. 18.*, quem citat in ſua Notificatione ad Parochos de Sacramento Baptiſmi Joſeph Maria

de Saporitis jam prælaudatus. Ex quibus liquido conſtat, Cornelium nondum confirmatum, bene vero baptizatum immunem penitus non eſſe a reſervatione.

Quod ſpectat ad ſecundam primi quæſiti partem, facilis eſt reſponſio. In Jure ſiquidem Canonico firmatum novimus, quod qui cum uxoris ſuæ conſanguinea vel in 1. vel in 2. gradu carnaliter peccat, jure petendi debitum privatur, licet ipſe teneatur reddere conjugi innocenti, ſi petat. Textus habetur expreſſus *Cap. Diſcretionem num. 6.*, *Cap. Tuæ fraternitatis 10.*, *Cap. Jordanæ 11.*: Atqui Cornelius, ut in caſu noſtro exponitur, rem habuit cum affine, ſeu conſanguinea uxoris ſuæ in 1. gradu; ergo jure petendi debitum privatus eſt.

Neque juvare poteſt Cornelium prædicti impedimenti ignorantia. Nam communis eſt Doctorum ſententia, tranſgreſſores legis incurrere pœnam illius, etiamſi talem pœnam ignorent, exceptis tamen cenſuris. Ratio eſt, quia ignorantia ſolius pœnæ non tollit cauſſam pœnæ, adeoque nec effectum, ſeu ipſam pœnam. Rationi adſtipulatur & ipſa praxis. Enimvero penes omnia tribunalia rei, & legum tranſgreſſores puniuntur variis pœnis, v. gr. patibuli, gladii, rotæ, combuſtionis, & hujuſmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint, delicta a ſe committenda, vel commiſſa pœnis hujuſmodi ſubjacere.

Sed jam pauca, quæ tamen ſint ſatis, ad II. quæſitum reponam. Copulam habens cum affine in 2. gradu a reſervatione quidem declinat, quia ſubeſt reſervationi inceſtus in 1. gradu affinitatis, ut ex tabula caſuum reſervatorum facile conſtat; non tamen ab impedimento debitum petendi immunis eſt. Latius ſiquidem patet dictum impedimentum, ut in 3. prænotato innui, quam reſervatio, & ad eos affinitatis gradus extenditur, in quibus vetitum eſt Jure Canonico matrimonium. Porro Jure Antiquo ante Concilium Tridentinum lex matrimonium vetans propter ortam ex illicita copula affinitatem ad quartum uſque affinitatis gradum extendebatur: ſed Jure Novo, poſtquam Sacroſancta Synodus Tridentina graviſſimis de cauſſis adducta *ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 4.* impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in 1. & 2. gradu conjunguntur, reſtrinxit, ad 2. gradum duntaxat extenditur; ergo & præfatum impedimentum ſecundum quoque gradum attingit. Quapropter licet a reſervatione declinet, qui copulam habet cum affine in 2. gradu, haud tamen a dicto impedimento declinat.

Supereſt, ut III. quæſito aptetur reſponſio, quæ fluit ex præmiſſis. Aliud quippe eſt, ut

ut diximus, reſervatio, aliud eſt impedimentum. Conſequenter aliud eſt facultas a reſervatis, aliud eſt diſpenſatio ab impedimentis. Ergo dum conceditur ſimpliciter facultas abſolvendi a reſervatis, nequaquam intelligitur ſimul collata facultas diſpenſandi ab impedimentis. Revera in Indulgentiis, quæ in forma Jubilæi concedi ſolent, datur quidem, ut ſimplex Confeſſarius a caſibus Summo Pontifici reſervatis abſolvat, non vero ut diſpenſet ab irregularitate, quia nempe ad hoc peculiaris conceſſio requiritur. Idem ſane dicendum de impedimento petendi debitum conjugale, ad quod ſimiliter poſtulatur ſingularis diſpenſatio. Audiatur ad hanc rem S. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. ubi inquit: *Qui ante cognovit conſanguineam uxoris, & conſummavit matrimonium, tenetur quidem debitum reddere, ſed petere non poteſt abſque diſpenſatione, &, ut dictum eſt, per Epiſcopum diſpenſari poteſt*. Ex quibus verbis ita concludit in ſuis Paſtoralibus Inſtructionibus Joſeph M. de Saporitis *in decl. Caſuum Reſerv. caſ.* 7 *Noverint igitur omnes Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri, hanc facultatem non ſubintelligi in generali conceſſione caſuum reſervatorum, ſed peculiarem eſſe, & toties, quoties ab Archiepiſcopo concedendam Confeſſariis prudentibus, qui pro peculiari caſu eamdem poſtulaverint*. Quæ cum ita ſint, liquido conſtat, quod qui habet facultatem ab omnibus

bus reſervatis abſolvendi, non idcirco valeat a dicto impedimento diſpenſare, niſi peculiari ad hoc facultate muniatur.

Mense Majo.

Sergius, & Marcellina uxorata, pactione de futuro conjugio facta, mortem prioris conjugis procurarunt. Facinus agnovit ſolus Euſebius, qui a gravi Sergii comminatione territus, juramento ſe adſtrinxit ad tale ſcelus nunquam detegendum. Publicationem in Eccleſia dicti matrimonii audiit Euſebius, qui proinde nimium implexus Parochum adit, & dum ei confitetur, factum narrat, conſilium petit, & Parochus eum ad detegendum impedimentum adigit.

Quæritur I. An ſcientes impedimentum matrimonii, ſub gravi teneantur illud detegere, licet Concilium Lateranenſe *in cap. 3. de clandeſtin. deſponſat.* dicat: *Qui voluerit, & valuerit impedimentum opponat.*

II. An bene ſe geſſerit Parochus, an potius Euſebius liber ſit ab omni obligatione, vel quia juramento promiſit, vel quia ex impedimenti delatione gravia ſibi damna ſuſpicatur.

III. Quatenus dictum impedimentum non detegatur, quid agere debeat Parochus ex confeſſione conſcius impedimenti.

DE-

DECISIO.

RESpondeo ad I., quod quantumvis Innocentius III. in Concilio Lateranenſi videatur remittere arbitrio ſcientis impedimenti revelationem, propterea quod verbo non præceptivo utatur, ſed ſimpliciter dicat, *qui voluerit, & valuerit;* attamen ne ſibi contrarius ſit in *Cap. 7. Tua nos, de Cognat. ſpirituali;* ubi interrogatus a quodam Canonico Herefordenſi, an qui conſcii erant matrimonii contracti cum impedimento orto ex cognatione ſpirituali, tenerentur illud palam facere, reſpondit: *Qui contractum ſciverunt, debent illud Eccleſiæ nunciare;* dicendum eſt, per illud verbum, *qui voluerit*, intellexiſſe quemlibet ad denunciandum admittendum eſſe, quaſi eſſet crimen publicum, ut explicat Gloſſographus ad idem verbum, *voluerit*. Verbum illud, *qui voluerit*, ita eſſe intelligendum egregie demonſtrat Berardi *Comment. in Jus Eccl. tom. 3. diſp. 3. qu. 1.*

Et revera præceptum hoc impoſitum eſt ſub gravi peccato, cum quilibet, ex notiſſimis, teneatur præcepto charitatis avertere ruinam ſpiritualem proximi, atque irreverentiam Sacramenti, ſi commode, & abſque ſui præjudicio poteſt. Procedit concluſio, licet ſub ſecreto naturali, etiam juramento firmato illud ſciat. Sanchez, Boſco, Aver-

Averſa citans Communem, & alii contra Guttierez. Ratio eſt, quia juxta univerſalem regulam apud S. Thomam 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2., quem teſte Sanchez omnes ſequuntur, ſecretum non obligat cum præjudicio tertii, ſed potius manifeſtari debet, ubi, ſi non manifeſtatur, vergit in damnum publicum, aut præjudicium tertii. Hactenus Ubaldus Giraldi *in Expoſit. Jur. Pontif. t. 2. ſect. 675.* commentans prædictam Decretalem Innocentii III. in Concilio Lateranenſi. His addi poſſunt quæ ſtatuta ſunt in *Cap. Falſidicus, de crimin. falſi, Cap. Videtur, qui matrimonium accuſare poſſunt, & Cap. Super eo, de teſtibus & atteſtationib.*

Ad II. Reſpondet idem Ubaldus *cit. loco* his verbis: *Eximit tamen pariter cum Communi laudatus Auctor* (Sanchez) *a revelatione, quoties quis eam facere non poſſet ſine gravi ſuo incommodo, aut præjudicio; quia præceptum charitatis non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum ſive ſpirituale, ſive aliud; quod etiam hic tacite innuere videtur idem Innocentius: quandoquidem verbo*, voluerit, *addit* & valuerit. *Qui ſine gravi ſui incommodo revelare non poteſt, idem eſt ac ſi non valeat.* Itaque Parochus bene ſe geſſit, ſi Euſebius renuit impedimentum detegere ob hoc duntaxat, quod juramento promiſerat non revelare: male ſe geſſit, ſi renuit eo, quod ex impedimenti delatione gravia ſibi damna metuebat.

Ter-

Tertio loco propoſitum dubium dilucide more ſuo reſolvit S. Thomas 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *ad* 2. inquiens: *Dicendum, quod de illis, quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre; quia hujuſmodi non ſcit, ut homo, ſed tanquam Dei Miniſter: & majus eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto*, & ut addit Cajetanus, etiam *quolibet Papæ præcepto*. Unde Parochus ex ſola Euſebii confeſſione conſcius impedimenti non poteſt Sergium, & Marcellinam a matrimonio contrahendo repellere. Quod ipſum docent Boranga *tom. 5. tract. de matrim.* §. 51., Wan-Eſpen *p.* 2. *tit.* 12. *de Sponſal. & Matrim. cap.* 3. *n.* 13., & potiſſimum Berardi *cit. loc. q.* 2.

Mense Junio.

Martialis ex vulnere accepto in duello privatim indicto poſt horam extra locum conflictus occubuit; & quia ante mortem non incerta dederat pœnitentiæ indicia, & fuerat a cenſuris, & peccatis abſolutus, in Eccleſia ſepelitur. Hinc oritur diſſidium inter illius Eccleſiæ Sacerdotes, quorum plures Eccleſiam pollutam dicunt; alii pollutam negant, addentes, quod licet polluta fuiſſet, quia tamen poſtea in ea Miſſam aliqui bona fide celebrarunt, reconciliata cenſetur: ſicut remanet conſecratus Calix, ſi eo non conſe-

crato

crato uſus fuerit Sacerdos ad Miſſam celebrandam.

Quæritur I. An per ſepulturam Martialis Eccleſia polluta vere cenſenda ſit.

II. An Eccleſia polluta reconcilietur, ſi Sacerdos in ea celebret; & an vera ſit, & ad rem probet paritas de Calice.

III. An lethaliter peccent, & ullas pœnas incurrant Celebrantes in Eccleſia polluta, vel interdicta.

DECISIO.

AD I. reſpondetur negative. Prætermiſſis enim aliis caſibus pollutionis Eccleſiæ in jure præſcriptis, qui ad rem noſtram non pertinent, ſolum in hoc caſu polluta vere cenſenda eſſet Eccleſia, ſi Martialis, qui in ea fuit in ſepulturam intruſus, fuiſſet excommunicatus non toleratus, ideoque vitandus; cum in hoc ſolum caſu polluatur Eccleſia, juxta illud S. Leonis Papæ I. relatum *in Can. 1. cauſ. 24. quæſt.* 1.: *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.* Antoine *tract. de Eucharist. quæſt. 8. n. 4.*: *Eccleſia polluitur .... per ſepulturam excommunicati non tolerati, Cap. 7. de Conſecrat. Eccleſ.* At vero Martialis tametſi, ſtatim ac duellum etiam privatim indictum inivit, excommunicatus fuerit ipſo facto, ut præſertim ex Conſtitutione Clementis VIII. incipiente *Illius vices* hiſce ver-

verbis expreſſe : *Excommunicamus , & anathematizamus omnes , & quoſcunque publice , vel privatim , palam , vel occulte . . . . ſingulare certamen, quod duellum vulgo dicitur , ex compoſito ineuntes ;* tamen nondum excommunicatus non toleratus, ideoque vitandus cenſeri debet ; cum, ut eruitur ex expoſito caſu , a Judice publicatus nominatim, & ſpecialiter, vel expreſſe denunciatus non fuerit : quod quidem poſt celebrem Martini V. Conſtitutionem , quæ ubique uſu invaluit , neceſſum eſt , ut quis excommunicatus non toleratus cenſendus ſit , ideoque vitandus . En verba cit. Conſtitut. : *Ad evitanda ſcandala . . . . tenore præſentium miſericorditer indulgemus , quod nemo deinceps a communione alicujus in . . . . aliis quibuſcunque divinis , vel extra prætextu cujuſcunque ſententiæ , aut cenſuræ a jure , vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abſtinere , vel aliquem vitare . . . . niſi ſententia , vel cenſura ejuſmodi fuerit in , vel contra perſonam . . . . a Judice publicata, vel denunciata ſpecialiter , vel expreſſe .* Cum ergo excommunicationis cenſura , in quam ipſo facto Martialis incurrit , contra perſonam ipſius publicata , & denunciata expreſſe, vel ſpecialiter non ſit ; fit propterea , ut vi prælaudatæ Conſtitutionis Martialis minime cenſendus ſit excommunicatus non toleratus , ac vitandus ; ergo per ejuſdem ſepulturam Eccleſia polluta cenſenda non eſt ; cum per

excom-

excommunicati ſolum non tolerati ſepulturam polluatur. Præſertim cum habeatur in caſu, eumdem poſt non incerta pœnitentiæ ſigna ab omnibus cenſuris, in quibus dicta excommunicatio continetur, & peccatis in eo articulo mortis, in quo nulla eſt reſervatio, fuiſſe abſolutum; quæ quidem abſolutio tam in foro interiori, quam exteriori viget ita, ut poſſint pro eodem applicari ſuffragia; cum ſupponatur hic, Martialem publice, & ſpecialiter minime denunciatum fuiſſe, cum in hoc ſolum caſu abſolutio publica a Jure præſcripta requireretur.

At dicet aliquis: Potuitne ergo iſte Martialis non expreſſe & nominatim publice denunciatus, immo ſic abſolutus ſacræ ſepulturæ mandari, cum ipſe poſt horam extra locum conflictus occubuerit? Concilium autem Trident. *ſeſſ. 25. cap. 19. de Reformat.* Eccleſiaſtica ſepultura hujuſmodi duello confligentes ſolum privet, ſi in conflictu deceſſerint; & laudatus Clemens VIII. etiam contra duello privatim confligentes ita declaret: *Et, ſi in ipſo conflictu obierint, ſepultura Eccleſiaſtica perpetuo privatos eſſe volumus.*

Minime quidem: nam cum Martialis, etiamſi poſt horam, & extra locum conflictus, tamen ex vulnere accepto in duello privatim indicto occubuerit; Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione *Deteſtabilem* a ſepultura

ſacra eumdem perpetuo ſine ſpe alicujus diſpenſationis, aut mitſoris interpretationis ab Ordinariis Locorum impetrandæ, tametſi a cenſuris abſolutum, ante omnem ſententiam Judicis amovendum decrevit his verbis: *Præterea ſimili modo, & auctoritate decernimus, ac declaramus, ſepulturæ ſacræ privationem a Sacroſ. Trident. Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus incurrendam perpetuo fore etiam ante ſententiam Judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit; ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis, & cenſuris abſolutionem obtinuerit, ſublata Epiſcopis, & Ordinariis Locorum ſuper hac pæna interpretandi, ac diſpenſandi facultate.*

Hic autem audiamus Romanum Theologum in notis ad *n. 55. art. 4. v. Eccleſia* perſtringentem Ferrarium, quomodo aliter ſentiat, doceatque. *Ex quibus verbis* (ideſt Benedicti XIV. prælaudatis), ait iſte Theologus, *ſatis liquido conſtat, quod ſiquem ex duello defunctum in Eccleſia ſepeliri contingeret, etiam ante ſententiam Judicis pollueretur Eccleſia; nam is eſſet excommunicatus non toleratus, ac per hujus ſepulturam Eccleſia violatur.*

At peto ab eodem Theologo: Loquitur ne hic Summus Pontifex de excommunicatione, quæ ſola, ſi ſit publice, & ſpeciatim denun-

denunciata, eſt in jure cauſſa, cur per ſepulturam ejus, qui hujuſmodi excommunicatione innodatur, polluatur Eccleſia, an vero ſolum de ſacræ ſepulturæ privatione? De excommunicatione certe, ut conſtat evidenter, nullum verbum. Privatus autem ſiquis ſit etiam ante ſententiam Judicis Eccleſiaſtica ſepultura, Eccleſiam minime polluit, ſi clam, vel per vim in eamdem ſepulturam intrudatur: ſicut nec polluit, etiamſi in eamdem intrudatur, poſtquam declaratus eſt ea per Judicis ſententiam privatus; ut ex plurimis caſibus liquet, quos recenſere longum eſt. Quinimo licet *interdicti, & excommunicati in jure æquiparentur, non violatur tamen Eccleſia, ſi interdicti denunciati in ea ſepeliantur, cum id nullibi expreſſum ſit*. Tournely *Cap. 3. de interdicto n. 4.* Tandem peto: quænam eſt hæc illatio? Summus Pontifex declaravit ſacræ ſepulturæ privationem ante ſententiam Judicis incurrendam perpetuo fore a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto ... ergo decedens hoc modo eſt excommunicatus non toleratus. An excommunicatio eſt ipſa ſacræ ſepulturæ privatio? Eſt quidem hæc effectus excommunicationis, ſed qui ſeparari poteſt ab ipſa excommunicatione, ut revera in dicto caſu, atque aliis etiam ſeparatur aliquando. Enimvero Pontifex in dicto caſu ſupponit, decedentem hujuſmodi dediſſe

X 2 non

non incerta pœnitentiæ ſigna, & fuiſſe a cenſuris, ideoque ab ipſa excommunicatione abſolutum; & tamen decernit, adhuc ipſum etiam ante ſententiam Judicis exiſtere ſacra ſepultura privatum. Diverſum ergo omnino eſt, & privari perpetuo Eccleſiaſtica ſepultura, quæ pœna hic non aufertur per quamcunque a cenſuris, & peccatis abſolutionem; & excommunicatione innodari, quæ, quantumvis reſervata, per abſolutionem a cenſuris in eo articulo mortis aufertur. Falſum igitur, Eccleſiam pollui in hujuſmodi caſu, quem ſupponit Benedictus XIV., & qui caſus ad noſtrum Martialem pertinet omnino.

Ad II. reſpondetur etiam quoad utramque partem negative. In primis enim certum eſt, Eccleſiæ reconciliationem, ſicut & ejuſdem conſecrationem (quod de Calice, aliiſque rebus conſecrandis dicendum eſt) Jure poſitivo Eccleſiaſtico præſcriptam eſſe, atque ſtatutam, quæ in quibuſdam ſacris ritibus, & benedictionibus, & precibus, & aquæ benedictæ aſperſione, & chriſmatis etiam, ubi de conſecranda aliqua re agitur, unctione conſiſtit. Hujuſce rei textus canonicos affert Doctor noſter Angelicus *3. part quæſt. 83 art. 3 ad 2. & 4*, & alibi. Quemadmodum ergo non contingit Eccleſiæ pollutio, niſi iis modis, quibus occurrentibus Eccleſiam pollui in jure decretum eſt; ita neque ipſius reconciliatio

ciliatio fieri poteſt, niſi iis modis, quibus eam fieri jura ſanxerunt. Nullo autem jure invenitur, Sacrificium Miſſæ pro hujuſmodi reconciliationis forma ſubrogatum fuiſſe. Atque adeo verum eſt Eccleſiam non reconciliari, niſi per ſacros ritus Canonico Jure præſcriptos, neque ad hanc reconciliationem valere Miſſam inibi a ſimplici Sacerdote celebratam; ut, ſi Eccleſia ante pollutionem fuerat conſecrata, non poſſit ab alio, quam ab Epiſcopo proprio, aut ex ejus aſſenſu ab alio Epiſcopo reconciliari; neque unquam poſſit ſimplex Sacerdos ab Epiſcopo ad hanc reconciliationem faciendam delegari. Ita *in Cap. Aqua de conſecrat. Eccleſiæ* ibi : *Aqua per Epiſcopum benedicta Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus, per Sacerdotes ſimplices hanc fieri de cetero prohibentes*. Quod fuſius docet Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib. 13. cap. 15. n. 2.* in medio ſic.... *Inſuper ſi Eccleſia jam conſecrata polluatur &c.* Ergo ſi ſimplex Sacerdos in dicto caſu delegari ab Epiſcopo non poteſt ad reconciliationem faciendam more conſueto, ſeu ritibus ab Eccleſia præſcriptis; multo minus ipſe poterit ex ſe Eccleſiam reconciliare per Miſſæ celebrationem, quem ritum Jus non præſcripſit, immo ita ſevere prohibuit, ut citra lethalem culpam fieri nequeat in Eccleſia polluta. Quis ergo dicet, hoc modo, qui

gravem culpam involvit, Eccleſiam reconciliari? Ex quo ſit, ut ſicuti, ſi in primo caſu reconciliatio Eccleſiæ attentaretur, eſſet non ſolum illicita, ſed etiam invalida, ita & in ſecundo; eſſet ſcilicet inepta, ut Eccleſia rite poſſet ſacras functiones excipere, quibus eam propter intervenientem pollutionem Eccleſiaſticum Jus expoliaverat.

Neque bona fides celebrantis hac in re quidquam valet. Cum enim hæc ſita ſit in actu interno ipſius Sacerdotis hujuſmodi Eccleſiæ vetitum ignorantis; quomodo hic actus internus ignorantiæ Sacerdotis, qui tametſi per accidens a culpa excuſetur, vetitum tamen Eccleſiæ minime tollit, valere poterit, ut ad publicam alicujus Eccleſiæ per publicum crimen pollutæ reconciliationem ſufficiat?

Tandem nonne Miſſæ celebratio, quantumlibet bona fide peracta, inepta eſt omnino, & inſufficiens ad Eccleſiam conſecrandam? Ergo etiam erit inſufficiens ad eandem ſemel pollutam reconciliandam; cum, uti dictum eſt, ab Jure Canonico & conſecratio, & reconciliatio pariter certis quibuſdam ritibus præſcripta ſit. Quare Antoine *tract. de Euchariſtia quæſt. 8. cap. 3. n.* 6. concludit: Eccleſia *non reconciliatur præciſe per celebrationem Miſſæ etiam bona fide factam*: ita De Lugo, Azorius, Layman, & alii.

Quod de Eccleſia polluta per Miſſæ celebra-

lebrationem minime reconciliata dictum eſt, multo magis de Calice dicendum, quod certe non poſſit per Miſſæ Sacrificium in eo peractum conſecrari. Nam ſi Miſſæ celebratio non ſufficit ad reconciliandam Eccleſiam jam conſecratam; quomodo ſufficiet ad Calicem nondum ſacrum, uti ſupponitur, conſecrandum? Plus enim requiritur ad conſecrationem in rem profanam inducendam, quam ad ſolum reconciliandam, ſeu purgandam materiam ſemel jam conſecratam: uti docet Card. De Lugo *diſp. 20. ſeſſ. 2.*, Navarrus, & alii, quos Salmanticenſes huic ſententiæ adhærentes afferunt *tract. 5. de Miſſæ Sacrif. cap. 4. punct. 4. n. 96. & 98.*

At dicet aliquis cum Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 60.*, hanc conſecrationem, & multo magis hanc purgationem haberi ex contactu Corporis Chriſti; unde certe omnis ſanctitas, & benedictio dimanat. Quodcunque ergo in Dianæ ſententia ſuo modo continget Corpus Chriſti in Ven. Euchariſtiæ Sacramento, illud erit ſacrum omnino? Si Diaconus neceſſitate urgente ex licentia Parochi Corpus Chriſti adminiſtret infirmis, manibuſque contrectet, ejus manus, jam per hujuſmodi contactum ſacræ, non alia in Sacerdotio ſuſcipiendo conſecratione indigebunt? Si forte illud in pavimentum, aut in pannum cadat, pavimentum, & pannus illico res ſa-

cræ cenſebuntur? Et ſi forte Sanguis Chriſti ſub vini ſpecie, ait Gobat *lib. 1. tract. 3. caſu 10. ſect. 2. n. 309.*, in barbam defluat, barba iſta habebitur ſacra? Quis hoc dixerit? Enimvero, etiamſi id caſu præter intentionem contingat, caſus iſte non prohibet, quominus SS. Corpus Chriſti & Sanguinem ſuo modo revera contingant; & conſecratio, & omnis benedictio aliunde non ab ipſo Sacerdote, ſed a contactu Corporis, & Sanguinis Chriſti vere dimanat. Ergo etiamſi præter intentionem Sacerdotis, & caſu fiat iſte contactus, res omnes per ſacrum ejuſmodi contactum vere conſecrabuntur. Bona ſiquidem fides, aut mala Sacerdotis, cum in actu interno ipſius Celebrantis conſiſtat, quid ad Calicis conſecrationem influere poteſt? Quot proterea inconvenientia in hac Dianæ hypotheſi orirentur? Concludendum igitur, quod, ut inquit Antoine laudato loco, *conſecratio, & reconciliatio, cum ſint Jure Canonico inſtitutæ, debent fieri per ritus a Canonibus præſcriptos; at nullus Canon iſta per celebrationem Miſſæ perfici ſtatuit*. Loquitur Auctor de Eccleſia conſecranda, aut reconcilianda: eadem tamen ratio pro Calice militat omnino.

Ad III. Reſpondetur aliud eſſe Eccleſiam eſſe pollutam, aliud interdictam, diverſoque modo a Jure Canonico hujuſmodi celebrantes haberi. Celebrantes ſiquidem in Eccleſia pol-

polluta ſolum lethaliter peccant; propterea quod temerarii ſunt in gravi Eccleſiaſtica lege infringenda, inibi ejuſmodi celebrationem prohibente; ſed nullam pœnam incurrunt, cum nulla ſit in Jure Canonico contra eos inflicta: qui tamen prudenti Epiſcopi arbitrio puniendi ſunt Eccleſiaſticarum legum vindicis, & defenſoris. Hoc aperte conſtat *ex Cap. Si qui* 18. *de ſentent. excommunicationis in 6.*: *Si qui in Eccleſia ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majori excommunicatione nodatis ſcienter celebrare præſumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non ſit expreſſum in Jure) laqueum non incurrit*. Contra vero celebrantes in Eccleſia interdicta præter lethalem culpam I. irregularitatem incurrunt. *Is vero* (proſequitur idem Pontifex) *qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut a jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari*. II. Privilegium amittunt Eccleſiaſtica ſepultura fruendi tempore alicujus generalis interdicti. Hoc privilegium fuit Clericis omnibus conceſſum ab Innocentio III. *Cap. 11. de pœnit. & remiſ.*; modo tamen ipſi Clerici non ſint ſpeciatim interdicti, neque eidem generali interdicto cauſſam dederint, & interdictum ſervaverint, & modo ſine ulla ſolemnitate ſepeliantur.

tur. III. Privantur jure tum paſſivæ, tum activæ electionis ad Eccleſiaſticas dignitates. *Cap. Is, qui 10. de ſent. excommunicationis in 6.* IV. Suſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ad arbitrium Prælati ſatisfecerint *Cap. Epiſcoporum de Priv. in 6.* V. Tandem ſiqui celebrant in Eccleſia interdicta, ſint Regulares ſive exempti, ſive non exempti, & propterea violent interdictum generale locale, quod ab Eccleſia Cathedrali, Matrice, vel Parochiali loci ſervatur, præter recenſitas pœnas, etiam excommunicationem majorem incurrunt. *Clement. 1. de ſententia excomm.*

Quidquid autem dictum eſt ſuperius de Clericis generatim, ſeu Sacerdotibus celebrantibus in Eccleſia interdicta, intelligendum duntaxat, quando iſthæc Eccleſia nominatim eſt interdicta, ſeu alicui ſpeciali interdicto ſuppoſita. Si vero Eccleſia, ubi ii Sacerdotes celebrant, ſit ſolum affecta locali generali interdicto, tunc ex Jure Novo Bonifacii VIII. *in Cap. Alma Mater de ſent. excommunicat. in 6.* omnes Clerici poſſunt quotidie Miſſas celebrare, & divina officia peragere in Eccleſiis locali generali interdicto ſolum ſuppoſitis: modo ipſi quatuor obſervent conditiones ab ipſo Bonifacio VIII. *in dicto Cap.* præſcriptas: 1. ſcilicet *Submiſſa voce: 2. Non pulſatis campanis: 3. Januis clauſis: 4. Excluſis interdictis, atque excommunicatis.* Hoc totum ex mitiga-

tigatione ſeu indulgentia Bonifacii VIII. valet, modo illa Eccleſia, in qua celebratur, non ſit ſpecialiter interdicta, neque ullam interdicto generali cauſſam dederit, etiamſi in loco generaliter interdicto ſita ſit. Hæ ſiquidem circunſtantiæ ſupplendæ ſunt ex Gloſſa *in dictum Caput Alma Mater verb. Eccleſiis*, ut obſervat, atque innuit Cabaſſutius *in ſua Juris Canonici Theoria, & Praxi de cenſuris cap. 10. n. 26.*

Mense Julio.

Paullus de conſilio Petronillæ rapit Bertam, invitis parentibus, ut hæc matrimonio jungatur Sempronio hujuſmodi raptus prorſus ignaro; cujus tamen poſtea conſcius raptum approbat, & coram Parocho, in cujus Parochia ruſticantur Paullus, & Sempronius cum Berta conſentiente matrimonium contraxit.

Quæritur I. An huic conjugio obſtet impedimentum raptus, vel deficientia proprii Parochi.

II. An ulli pœnæ ſubjiciantur, & a quocunque Confeſſario poſſint abſolvi Paullus, Petronilla, & reliqui.

III. An ſit violenta, & raptorum pœnis obnoxia abductio puellæ, quando invitis parentibus non invita rapitur.

DE-

DECISIO.

AD I. Inter impedimenta matrimonium dirimentia recenſetur Raptus, ut declarat Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. de reform matrim. cap.* 6. Quid autem per raptum intelligatur, explicant Theologi aſſerentes, raptum nihil aliud eſſe, niſi violentam puellæ extractionem e domo parentum, & poteſtate in ordine ad matrimonium contrahendum. Tria proinde ad hoc inducendum impedimentum requiruntur, I. Abductio perſonæ raptæ e domo ſua, vel paterna: II. Debet talis abductio fieri cauſſa matrimonii contrahendi: III. Debet eſſe conjuncta cum violentia vel phyſica per manuum injectionem, vel ſaltem morali per minas, aut metum gravem illata. Has conditiones adeo neceſſarias affirmant Canoniſtæ, ut una deficiente raptus nullatenus habeatur.

Non exprimitur in caſu, utrum Berta invita, vel conſentiens fuerit, dum Paullus invitis parentibus ipſam rapere tentavit, quia, ut notat Ferraris *verbo Impedimenta matrim. art. 2. num. 117. & 118.*, quæſtio inter Doctores agitatur, an ad raptum conſtituendum ſufficiat ſolus diſſenſus parentum, an ulterius requiratur etiam raptæ diſſenſus. De hac quæſtione redibit ſermo in reſponſione ad III. Itaque ſi Paullus rapuit Bertam non conſentientem, ra-

ptu

ptus habetur; ad quem removendum, & intrinſecam matrimonii rationem, quæ in libero partium conſenſu ſita eſt, ſalvandam Tridentini Patres pluribus impoſitis pœnis invigilarunt in *citata ſeſſ. 24.* his verbis: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium: quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat.* Ex vi proinde præſentis decreti puellam, donec in loco tuto & libero conſtituatur, nullatenus poſſe cum raptore matrimonium inire quiſque fatebitur.

Diverſimode tamen differendum videtur in noſtro caſu, in quo Sempronius conſcius non erat raptus a Paullo intentati; quia tamen poſtea raptum approbavit, ejus conjugio obſtare impedimentum raptus evincitur ex *Regula 10. Juris in 6.: Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari:* & probat Cl. Berardi *comment. in Jus Eccl. tom. 3. diſſ.* 4. *cap.* 3., ubi quæſtionem hanc breviter quidem, ſed ſolide ita reſolvit: „ Denique „ quæri ſolet, an pœna raptus etiam tum „ locum habeat, quum non quis ſibi, ſed „ alteri conjugio jungendam puellam rapue„ rit. Ad eum, qui rapuit, facile legum ſen„ tentia extenditur: ſed ubi agatur de „ eo, de cujus nuptiis raptor cogitavit, „ ſi

„ ſi ipſe conſcius raptus fuerit, raptuique „ conſenſerit; nec dubito, quin eidem ma- „ trimonio cum rapta contrahendo interdi- „ catur, ac ſi ipſe rapuiſſet: quid enim inter- „ eſt, an per ſe quis, an per alium graviſ- „ ſimum crimen admittat? At ſi is conſcius „ criminis minime fuerit, nulli erit pœnæ „ locus, niſi forte raptum ille ratum habeat, „ & ſub ſua poteſtate vel apud ſe, vel apud „ raptorem puellam abductam detineat, quum „ nihil interſit, quoad vim inferendam, an „ puellam abduxerit aliquis, an ab alio abdu- „ ctam vi detineat „.

Prædicti conjugii validitati obſtaret etiam deficientia proprii Parochi; quia Parochus, coram quo hoc conjugium fuit celebratum, non eſt Parochus nec viri, nec ſponſæ, quum nec ſponſa, nec vir domicilium habeant in Parochia, in qua non degunt, ſed duntaxat ruſticantur Paullus, & Sempronius. Verumtamen in noſtra Genuenſi Diœceſi reipſa non obſtat; quia Parochus loci, in quo Sempronius ruſticatur, legitimus Sempronii Parochus eſt juxta Synodales Conſtitutiones Eminentiſs. Duratii *cap.* 24. *de matr.*, & poſtea Julii Vincentii Gentili *cap.* 15. *de matrim.*, in quo ita decernitur: *Cives Genuenſes dum tempore ruſticationis commorantur in villis, ad eorum matrimoniis aſſiſtendum declaramus Parochum legitimum alterutrum, ſive urbis, ſive ruris.*

ruris. Itaque præfatum matrimonium non deficientia proprii Parochi, ſed impedimentum raptus infringit.

Ad II. Pluribus pœnis ſubjectos eſſe raptores, eiſque conſilium, auxilium, & favorem præbentes ex Tridentini ſtatutis *cit. loco* aperte deducitur: *Nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, e proprio gradu decidant*. Quum igitur Paullus, Petronilla, & Sempronius raptui vel facto, vel conſilio, vel ratihabitione conſenſerint, raptorum pœnis ſubjiciuntur. Poterunt tamen a quocunque Confeſſario abſolvi; quum excommunicatio, quam incurrunt, licet latæ ſententiæ ſit, nullis Superioribus reſervata legatur. Berta duntaxat, quæ fuit rapta prædictas pœnas evadit.

Ad III. S. Thomas 2. 2. *qu.* 154. *art.* 7. hæc habet: *Quandoque violentia infertur patri, ſed non virgini, puta quum ipſa conſenſit, ut ipſa per violentiam de domo patris abſtrahatur; qualitercunque enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptus*. Et S. Congr. Conc. *in Ruben. Raptus, & Cenſurar. 3. Martii 1714. d. 64.* declaravit: *Raptori non obſtare raptum ad contrahendum matrimonium cum puella rapta, conſtito quod raptus fuerit executus nedum conſentiente, ſed & ſollicitante ipſa puella*. Ex his infertur, quod ſi puel-

ſi puella raptorem non ſollicitaverit, ſed ſolum raptui conſenſerit, violenta ſit, & raptorum pœnis obnoxia abductio ipſius puellæ, quando invitis parentibus, non invita rapitur. Idipſum appoſite confirmat Berardi *loco ſupra cit.*: *Finge nunc*, inquit, *rapi conſentientem puellam, diſſentientibus ejuſdem parentibus, vel, ubi parentes deficiant, curatoribus. Etiamnum puto, raptus pœnæ locum eſſe ob perſpicuam Juſtiniani Conſtitutionem, quia conſenſus ille mulierum ab inſidiis nequiſſimorum hominum, qui rapinam meditantur, extorqueri præſumitur*, *L. un. de raptu virg. ſeu vid.* Hinc Criminalium Jurium Sereniſſimæ noſtræ Reip. *lib. 2. de pœnis cap. 23. de raptoribus* pœna mortis infligitur iis, qui puellam, licet conſentientem, rapuerint, hiſce verbis: *Raptores virginum honeſtarum, vel ingenuarum . . . & qui invaſionis tempore opem ad rapiendum tulerint, etiamſi raptæ conſenſerint, capite plectantur, & bona publicentur, cedatque dimidium Fiſco, reliquum raptæ*. Quod ſi puella raptorem ſollicitaſſet, vel ſponſalia præceſſiſſent, vel aliunde ex inſpectione circunſtantiarum conſtaret, puellam non fuiſſe odioſis artibus circumventam, & nequiſſimorum hominum inſidiis inductam; ſequenda eſſet eorum opinio, qui ſentiunt abductionem puellæ, quæ invitis parentibus non invita rapitur, violentam non eſſe, neque raptorum pœnis obnoxiam.

Men-

Menſe Auguſto.

BArnabas conjiciens, collatorem beneficii tunc vacantis velle illud conferre Petro, pecuniam tradit miniſtro collatoris, ut facilius ejus ope beneficium Petro conferatur, non animo favendi eidem Petro, quem odit, ſed animo proclamandi ſimoniacam, ac propterea irritam collationem. Beneficium Petrus obtinuit, & quidam Terentius, cui Barnabas fraudem aperit, eum ab accuſanda collatione retrahit; quam tamen poſtea accuſat idem Terentius, quia Confeſſarius ei abſolutionem negabat, niſi fraudem detegere promiſiſſet.

Quæritur I. An nulla, vel irritanda ſit collatio beneficii.

II. An unuſquiſque vi *Extravag. 2. de Sim. inter comm.* teneatur ſimoniacos denunciare; & Confeſſarius bene ſe geſſerit.

III. An ullis, & quibus pœnis ſint obnoxii Barnabas, & miniſter collatoris.

DECISIO.

DEteſtabile ſimoniæ vitium, per quod ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa pro re temporali emi, vel vendi præſumuntur, ita ſemper exhorruit Eccleſia, ut modis omni-

 bus,

bus, gravioribuſque impoſitis pœnis ipſum exagitare nunquam ceſſaverit. Revera flagitium eſt, quod ipſam Religionem lædit, & quo dona Spiritus S. ſacrilego auſu profanantur. Non immerito proinde ſtatutum fuit *Can. Erga ſimoniacos 109. cauſ. 1. qu. 1.*, ut contra ſimoniacos abſque ulla miſericordia procedatur. Ultra enim excommunicationem, quam juxta plures Romanorum Pontificum Conſtitutiones incurrunt ipſo facto, qui hujuſmodi labe infecti ſunt, decernitur etiam in Juris diſpoſitione quoad Eccleſiaſtica beneficia quæcunque collatio, proviſio, & acquiſitio ſimoniace facta ipſo jure irrita, & nulla; ita ut ſimoniace proviſus nullum acquirat jus, nec faciat fructus ſuos, ſed ad illorum omnium reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Immo nedum beneficium taliter acquiſitum dimittere tenetur; ſed ad illud, & quodcunque aliud obtinendum perpetuo inhabilis evadit, aliiſque jam obtentis privandus eſt.

Hæc ſane pœnarum acerbitas inviſam criminis gravitatem ſatis aperte demonſtrat. Verum ut pœnæ iſtæ incurrantur, præſertim ut nulla, & irrita declaranda ſit collatio beneficii, non ſtatim quæcunque ſimoniæ ſpecies a quocunque quovis tandem fine perpetrata exhiberi debet. Quandoque enim eſto ſimonia interveniat, eoque crimine gravati ſint, qui vel contulere, vel mediatores fuere col-

re collati beneficii ; collatio tamen ipſa in ſua poteſt validitate conſiſtere. Revera res ita ſe habet in caſu expoſito de beneficio, quod Petrus obtinuit, quodque Barnabas vitiare curavit in collatione, pecuniam tradendo collatoris miniſtro.

Itaque ad I. reſpondeo, validam eſſe collationem beneficii factam Petro, nec ullo pacto irritandam. Immo Petrus proviſus, licet poſtmodum noverit, ſimoniam eo pravo fine a Barnaba eſſe commiſſam, valide poteſt, & licite adeptum beneficium retinere. Idque ea præſertim de cauſſa, quia, nedum ignorante Petro, eo in caſu ſimoniace ſe geſſit Barnabas, ſed quia id præſtitit per fraudem, & in odium ipſius.

Communis eſt, & indubia aſſertio iſta. Textus enim manifeſtus caſum hunc excipiens habetur *Cap. Nobis 25. tit. de Simon.*, ubi ad caſum, in quo, ignorante electo, data fuit ab amicis pecunia electoribus, reſpondit Pontifex, *talem electionem ſimoniaca pravitate fædatam eſſe, licet ipſe electus conſcius non fuerit; niſi tamen* (advertatur hic expreſſa ad rem noſtram limitatio) *conſtaret, illos, qui pecuniam tradiderunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſe feciſſe*. Cum igitur conſtet, Barnabam tradidiſſe miniſtro pecuniam, ut ſimoniacam deinde proclamare poſſet collationem, proindeque in odium, in-

fraudem, in diſpendium Petri, collatio iſta ſimoniaca non erit. Audiatur Angelicus Doctor 2. 2. *qu. 100. art. 6.*, doctrinam hanc ex voto confirmans. Poſtquam enim determinavit ſimoniacam electionem illius, qui eo neſciente ſimoniace electus fuit, ſubdit: *Niſi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, procurando videlicet electionem ipſam data opera vitiare ad ipſum inhabilem reddendum.*

Ratio autem, & æquitas hujuſce limitationis deducitur præſertim ex Regula 22. *Jur. in 6.*, quæ ſic ſe habet: *Non debet quiſpiam alterius odio prægravari*; videlicet nullus innocens affici debet, vel gravari pœna aliqua propter odium alterius; atqui pœna maxima propter odium, & malitiam Barnabæ gravaretur Petrus, ſi collatum ipſi beneficium nullum, & irritum declarandum foret: id namque eſſet malitiis hominum plus æquo indulgere, impiorumque temeritati patrocinari. Quod ſane quantum a recta agendi ratione, & provido Eccleſiæ inſtituto alienum ſit, nemo non videt.

Ad II *In Extravag 2. de Simon.* hæc ſtatuit Paullus II.: *Et ut hujuſmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis Sæcularibuſque perſonis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius*

injun-

injungimus, ut eos omnes, quos ſimoniam hujuſmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciverint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per ſe, vel alios revelare quantocyus non omittant ... Quod ſi non fecerint, abſolvi non valeant, donec prædicta revelent. Similia jam decreverat Eugenius IV. Conſtit. *Cum deteſtabile*. Quas Conſtitutiones mox confirmavit Pius V. Conſt *Cum primum*, ubi hæc habet: *Et ut ſimoniacæ pravitatis labes prorſus aboleatur, Conſtitutiones Anteceſſorum noſtrorum contra ſimoniacos editas, & præſertim Paulli II. inviolabiliter obſervari mandamus*. Verum non deſunt plures DD. etiam ex illis, qui poſt Pii V. tempora floruerunt, qui contendunt, laudatam Paulli II. Extravag. in uſu non eſſe. Sic ante Pium V. tenuerunt Sylv. *v. Simonia qu.* 19. *pœna* 4. *& v. Excommunicatio*, 7. *excommunic.* 43. *n.* 81., Cajet. *v. Excommunicatio poſt caſum* 81. *ſub tit. Excommunicatio poteſt diverſimode incurri*, pluresque alii Summiſtæ. Poſt Conſtitutionem autem Pianam docuerunt id etiam Navarr. *in Summ. c.* 23. *n.* 106., Covarr. *reg. peccatum* 2. §. 8. *n.* 7., Sanch. *Conſil. l.* 2. *c.* 3. *d.* 104 *n.* 4., Theſaur. *de pœnis p.* 2. *v. Sim. c.* 2. *n.* 10., Sà *in Aphoriſmis v. Simonia n.* 4., Tolet. *l.* 5. *c.* 94. *n.* 1., Biſſo *Moral. tr.* 6. *n.* 140., Girald. *Expoſ. Jur. Pont. p.* 1. *ſeſſ.* 781. aliique: *Imo nec ligavit*, ſubdit Sanch. *loc. cit.*

niſi exiſtentes in Curia, *quia valde irrationabilis eſſet conſtitutio*, *ut vellet pauperes ab extraneis terris adire Curiam pro declaranda ſimonia*. Sic Sylveſt., Tabien., Covarr., Navarr. Diſtinguenda tamen eſt, ut optime animadvertit Berardi *in Gratian. Can. p. 2. t. 2. c. 64.*, *& Comment. in Jus Eccl. t. 4. p. 1. diſſ. 3. c. 2.*, ſimplex ſimonia ab hæreſi ſimoniaca. *Siquidem ſimoniæ vitium ſine hæreſi proprie dicemus eum admittere*, *qui pro certo habet*, *res ſacras emi*, *vendive non poſſe*; *interea tamen aliud agit*, *& res ſacras pretio emit*, *aut vendit*, *non vitio intellectus*, *ſed voluntatis*. *At ſimoniacam hæreſim nominabimus*, *cum quis non tam facit*, *quam fieri poſſe putat deteſtabilem rerum ſacrarum*, *aut ſacris cohærentium mercaturam*. Tenebatur utique Terentius denunciare Barnabam, ſi vel ſolum de hæreſi ſimoniaca ſuſpectus fuiſſet. Sed cum hæc ſuſpicio non adſit in noſtro caſu, ex ſola vi laudatæ Extravag., quæ non eſt recepta, imo per non uſum abrogata juxta citatos DD., ad id non tenebatur Terentius; adeoque non bene ſe geſſit Confeſſarius abſolutionem negando.

Ad III. Licet verum ſit, ſimoniam mentalem, ut ut grave ſit crimen, quaſcunque excludere Eccleſiaſticas pœnas ſimoniacis a jure impoſitas, cum ad Eccleſiam de externis tantum judicare pertineat; omnibus tamen pœnis contra ſimoniacos latis obnoxii dicendi ſunt

ſunt omnes illi, qui ſimoniam realem vel ex ſe ipſis perpetrarunt, vel eamdem quodammodo promoverunt; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi ſimonia eo modo habita fuit, ut collationem ipſam beneficii infecerit, pœnis etiam in ſimoniace promotum animadvertatur: ſi vero nullum in collatione vitium deprehendatur, mediatores tamen auſi fuerint ſimoniace procedere, ad ipſos pœnæ ſingulæ referantur. Barnabas igitur tradendo pecuniam miniſtro collatoris hac expreſſa conditione, ut poſſit Petrus facilius hoc pacto beneficium obtinere, ſimoniam realem commiſit, dum pecuniam dedit, eamque perpetravit miniſter, qui recepit; ambo enim, quantum in ipſis erat, rem ſpiritualem temporali pretio emere tentarunt. Nil mirum proinde, ſi pœnis omnibus in ſimoniacos latis jure omni ſubdantur. Pœnæ autem hujuſmodi ſuperius relatæ ſunt initio Deciſionis, inter quas potiſſimum habet locum excommunicatio Papæ reſervata, ſicut eruitur ex *præcit. Decret.* 2. *de Simon. inter comm.*, ubi legitur: *Statuentes præterea, quod univerſi, & ſinguli .... qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut, quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant, a qua, niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo*

 con-

conſtituti. Nedum igitur pœna afficiuntur ii, qui vel acquirunt, vel conferunt ſimoniace beneficium, ſed illi etiam, qui quacunque tandem ratione ſimoniam procuraverint. Vid. Berardi *loc. cit.* Dicitur in expoſitione caſus collator beneficii ante mediatoris preces jam diſpoſitus ad illud Petro conferendum. At id ſimoniam a prædictis haudquaquam excludit. Ad ſimoniam namque conſtituendam juxta receptam Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam ſufficit pactum aliquod expreſſum, aut tacitum externe manifeſtatum, quod ſit ſaltem ex una parte inchoatum, & intentum. Quandoquidem vera interdum ſimonia committitur ex parte unius duntaxat; quando videlicet unus offert temporale pro ſpirituali, & alter indignam illam oblationem deteſtatur; quod verificatum legitur in facto Simonis Magi, a quo crimen iſtud nomen accepit. Eſto igitur non præciſe intuitu precum mediatoris collatum fuerit beneficium; tamen, qui dedit, quique temporale recepit pro ſpirituali, a reali ſimonia ſalvari non poſſunt. Nec obſtat, pecuniam datam eſſe non collatori, ſed mediatori. Nam paria ſunt, dare collatori, & dare tertio, ut collatorem ipſum moveat ad conferendum, prout aſſerit Innocentius III. *in Cap. Tanta de Simonia*, quem Canoniſtæ omnes ſequuntur.

Siquis autem reponeret, Barnabam tradidiſſe

dediſſe pecuniam, non ut pretium beneficii, ſed ut facilius, & celerius conferatur; non proinde tamen ipſum ab hoc crimine vindicaret. Et ſane pravam animi ſui voluntatem ſatis aperte manifeſtavit ex eo, quod poſtmodum velut ſimoniacam talem collationem proclamare eidem mens erat; unde pecuniam obtulit, ut vere pretium beneficii, ne in ſua perverſitate fraudaretur. At, liberius agendo, admittatur, Barnabam pecuniam dediſſe abſque tali pacto, & pretio ſtatuto pro beneficio, atque unice, ut facilius movere poſſet collatorem: eritne proinde a reali ſimonia immunis? Fuit olim hæc aliquorum Theologorum aſſertio, quæ tamen damnata fuit ab Innocentio XI. *die 2. Mart. an. 1679.* in hujuſmodi propoſitione *num.* 45.: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur, tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale.* Eſto igitur contulerit Barnabas temporale pro ſpirituali præciſe tanquam motivum, non tanquam pretium, a vera ſimonia nullo pacto poterit excuſari.

Mense Septembri.

Teſtator in Capellaniæ fundatione mandavit, ut eligatur Capellanus, qui Miſſam quotidie celebret. Gaudentius dictam Capellaniam

laniam obtinuit, & plures Miſſarum eleemoſynas colligit; unde aliquando Miſſas adventitias celebrare facit poſt menſem, aliquando Miſſarum Capellaniæ celebrationem alteri mandat, tradita mandatario eleemoſyna juxta morem regionis, non vero integra, quam lucraretur, ſi ipſe per ſe celebraret.

Quæritur I. An Gaudentius oneri Capellaniæ poſſit per alium ſatisfacere, an debeat per ſe ipſum.

II. An licite poſſit poſt menſem mandare celebrationem Miſſarum.

III. An tradere debuerit eleemoſynam celebranti fructibus Capellaniæ integre reſpondentem.

DECISIO.

AD I. Gaudentius oneri Capellaniæ poteſt per alium ſatisfacere. Nam, ut inquit Benedictus XIV. tunc temporis Sacræ Congregationis Conc. Secretarius in diſcurſu ad calcem Deciſionum diei *8. Auguſti* 1722. §. *3*. „ Vix hodie in tribunalibus admittitur, „ quod Sacerdos teneatur celebrare per ſe „ ipſum, niſi claris, & rotundis litteris Fun-„ dator dicat, eum debere celebrare *per ſe* „ *ipſum*; nec enim ſufficit, quod dicat, eum „ debere eſſe Presbyterum, eum debere ce-„ lebrare, eum debere reſidere, quum hæc

„ omnia

„ omnia dicantur compatibilia cum faculta-
„ te celebrandi per alium, *juxta famigeratam*
„ *deciſ. 825. coram Merlino*, & late deducta
„ in *Cremonen. Benef. 9. Martii* 1714. *coram*
„ *R. P. D. Lancetta, & in eadem* 4. *Fe-*
„ *bruarii 1715. cor. R. P. D. Cerro*„. Et ſic decrevit eadem Sacra Congr. cum clauſula, *non amplius, in Romana Capellaniæ 29. Auguſti 1722.*

Ad II. Gaudentius licite nequit poſt menſem mandare celebrationem Miſſarum, quia eas celebrare tenetur infra menſem ex declaratione Sacræ Congr. Conc. 17. *Julii 1655.*, quæ declaratio refertur in Caſu menſis Octobris an. 1770. in Reſp. ad II.

Ad III. Gaudentius non debet tradere eleemoſynam fructibus Capellaniæ integre reſpondentem; ſed ſatis eſt, ſi tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione aliud cautum fuerit. Licet enim id ſevere vetitum ſit, quando agitur de Miſſis adventitiis, ut videre eſt in Deciſione Caſus menſis Decembris an. 1770. ad III.; licitum tamen eſt, quando agitur de Miſſis perpetuis, ut in præſenti caſu. Ita communiter DD., quos inter Monacellus *Formul. leg. pract. in ſupplem. ad tom. 1. num. 258.*, ubi hæc habet: *Capellani autem amovibiles, qui ſunt nominati a teſtatore, vel electi ab hærede ad ce-*

ad celebrandas Miſſas in aliqua Capella cum aſſignatione certi redditus, poſſunt aliis Sacerdotibus celebrationem Miſſæ committere, & aſſignare eleemoſynam manualem juxta morem Regionis, & pro ſe aliam partem retinere, Sacr. Congr. Conc. apud Barboſam de offic. Paroch. cap. 11. num. 13 &c. Id ipſum recenter docet Cl. Berardi *Comm. in Jus Eccl. tom. 4. par. 1. diſſ. 3. cap.* 4. Gaudentius tamen, qui perpetuam habet Capellaniam, & plures Miſſarum eleemoſynas colligit, præ oculis habeat decretum *de obſerv. & evit. in celebrat. Miſſæ* editum a Trid. Synodo *ſeſſ. 22. de Sacr. Miſſæ*, quo *importunæ, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt*, omnino prohibentur.

MENSE OCTOBRI.

LAurentius Clericus non raro aleis ludit, brevioribus veſtibus, coloratis, auro intextis utitur, & comam etiam ad altare geſtat adſcititiam eleganter concinnatam, utpote cujus uſum ad ornatum potius, quam ex vera rationabili cauſſa impetraverit. Legit Canones, & Decreta de vita, & honeſtate Clericorum a Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. de reform. cap. 1.* in uſum revocata, & præſertim Clementinam *Quoniam de vit. & honeſt. Cleric.*, quam

quam idem Concilium *ſeſſ. 14. de reform. cap. 6.* ſpecialiter innovat: omne dubium deponere vellet, ſed fruſtra; unde Theologum adit, & ab eo

Quærit I. An graviter delinquat, ſi frequenter, & plerumque cum fœminis aleis ludat.

II. An pariter delinquat, ſi prædictis veſtibus utatur: & an pro Beneficiariis adſit prohibitio ſpecialis, & pœna.

III. An geſtare tuta conſcientia poſſit comam adſcititiam, licet illius uſus nunquam fuerit ipſi adeo neceſſarius, & nimia concinnatio clericali modeſtiæ, & conceſſionis formæ non reſpondeat.

DECISIO.

AD I. Alearum ludum non unus, aut alter Epiſcopus, ſed frequentia Concilia, etiam Generalia, noſtrum quoque Genuenſe Provinciale *tit. de vit. & morib. Cleric.* ſevere adeo Clericis interdixerunt, ut graviſſimi Theologi lethalis peccati reum Clericum aleatorem autumaverint; inter quos Natalis Alexander *Theol. Dogm. Mor. tract. de Sacr. Ord. cap. 5. de vit. & hon. Cler.* Quæ quidem ſententia, quum a nonnullis nimiæ ſeveritatis incuſata fuiſſet, ab eodem Natali *epiſt. 22. in append. 1. var. epiſtol.* viriliter fuit propugnata; & ab

& ab omnibus ſanæ doctrinæ Theologis eſt propugnanda, ſi ſermo ſit de Clericis ludentibus *non tam cauſſa recreationis, quam lucri, & frequenter, ac immodice, cum periculo ſcandali, vel amiſſione temporis, utilius in ſtudia, vel pietatem, vel divinum officium impendendi, aut pro pecunia proſpectu Eccleſiæ acquiſita, & in pauperes diſtribuenda*: Engel *tit. de vit. & hon. Cler. n.* 12.,& Giraldi eodem *tit. ſect.* 324. *Exp. Jur. Pont. par. 1*. Neque excuſari poſſunt hujuſcemodi aleatores Clerici obtentu contrariæ conſuetudinis, quam, tanquam *corruptelam, & frivolam excuſationem*, reprobavit Innocentius III. *in Cap. Inter dilectos, de exceſſib. Præl.*; potiſſimum quum talis naturæ ludi prohibitio ab omnibus fere locorum Ordinariis ſub certis pœnis innovetur.

Quamvis vero ab iiſdem Ordinariis tranſgreſſores puniri poſſint pro eorum arbitrio, ipſos tamen in iiſdem pœnis infligendis monitos velle videtur Benedictus XIV., ut abſtineant ab excommunicatione latæ ſententiæ, ex facto, quod refert *lib.* 10. *de Syn. Diæc. cap.* 2. *num.* 2. ibi » Quum in Congregatione » habita die 20. Decembr. 1687. examinanda » eſſent ſynodalia decreta Epiſcopi Vaſionen- » ſis; & controverſia præcipue verteretur » circa unum decretum, quo ſub pœna ex- » communicationis latæ ſententiæ prohibe- » bantur Sacerdotes ludere aleis, vel taxillis,

» quo

» quocunque modo, & cum quacunque per-
» ſona; poſtquam Altovitus in ſuo ſuffragio
» Doctores retulit aſſerentes, licere quando-
» que Sacerdotibus, animi relaxandi cauſſa,
» aleis, & taxillis ludere, modo id non fre-
» quenter, & ſine ſcandalo faciant: tamen
» quia ludus, qui juxta doctrinam D. Thomæ
» 2. 2. *qu.* 168. *art.* 2. ad virtutem pertinet
» Eutrapeliæ, facile degenerat in vitium; eo
» quod ludentes aut nimium illi indulgeant,
» aut a conditionibus deficiant, quas idem
» D. Thomas *ibid.*, & *art. ſeq.* ad ludum coho-
» neſtandum requirit, ideo addidit Altovitus,
» poſſe Epiſcopum in ſua Synodo edicere,
» ne Sacerdotes, & Clerici aleis, vel taxillis
» ludant: ſed quantum attinet ad cenſuras,
» hæc prudenter animadvertit: *Pœnam excom-
municationis latæ ſententiæ, uti nimis rigidam,
etiam nullo reclamante, ex officio tollendam eſſe,
& per conſequens decretum in hac parte reforma-
tione indigere cenſerem: licet enim ſacrum Trid.
Concilium cap. 1. ſeſſ. 22. de reform. tribuerit
Epiſcopis facultatem procurandi obſervantiam eo-
rum, quæ per antiquos Canones diſpoſita fuere
circa vitam, & honeſtatem Clericorum, non ſolum
ſub pœnis per dictos Canones ſtatutis, ſed etiam
aliis eorum arbitrio imponendis; attamen arbi-
trium hujuſmodi regulari debet a jure, juxta cujus
diſpoſitionem non eſt imponenda pœna excommu-
nicationis, præſertim latæ ſententiæ, niſi in ca-
ſu,*

ſu, quo committitur culpa lethalis, quæ ex ſupradictis non contrahitur per Clericos raro, vel recreationis cauſſa, & citra ſcandalum ludentes. Licet autem idem Altovitus nimium rigidam exiſtimaverit laudatam Epiſcopi Vaſionenſis Synodalem Conſtitutionem; *concluſit tamen, pœnam quidem eſſe mitigandam, ſed prohibitionem ratam, ac firmam habendam*: verba ſunt Benedicti XIV. *de Syn. Diæc. lib. 11. cap. 10. num. 5.*

Laurentius ergo, ſi raro, vel recreationis cauſſa &c. juxta ſuperius notata, etiam cum honeſtæ vitæ fœminis, ex quibus nullum ſubeat periculum, aleis luderet, profecto non delinqueret; ſi vero luderet frequenter, cum notabili temporis jactura &c., & multo magis cum laſcivioribus, ſuſpectiſque fœminis, gravi ſcelere ſe inquinaret.

Ad II. Quum ex S. Bernardo *de Conſid. ad Eug. lib. 3. cap. 5.* indecens *forma veſtium deformitatis mentium, & morum indicium ſit*; hinc Eccleſia ſanctiſſimis legibus ſicuti morum, ita etiam veſtium honeſtatem Eccleſiaſticis viris indixit. Unum hic ſufficiat afferre Concilium Tridentinum, quod *ſeſſ. 14. cap. 6. de reform.* hæc habet: » Quia vero,
» etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes congruentes ordini ſemper deferre; ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrin-
» ſecam

» ſecam oſtendant; tanta autem hodie aliquo-
» rum inolevit temeritas, religioniſque contem-
» ptus, ut propriam dignitatem, & honorem
» clericalem parvipendentes, veſtes etiam de-
» ferant publice laicales, pedes in diverſis po-
» nentes, unum in divinis, alterum in carna-
» libus; propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ,
» quantumcunque exemptæ, quæ aut in ſacris
» fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia,
» aut beneficia qualiacunque Eccleſiaſtica obti-
» nuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam
» per edictum publicum moniti fuerint, hone-
» ſtum habitum clericalem illorum ordini, &
» dignitati congruentem, & juxta ipſius Epi-
» ſcopi ordinationem, & mandatum non detu-
» lerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac
» officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus,
» & proventibus ipſorum beneficiorum, nec
» non, ſi ſemel correpti denuo in hoc deli-
» querint, etiam per privationem officiorum,
» & beneficiorum hujuſmodi coerceri poſſint,
» & debeant, Conſtitutionem Clementis V. in
» Concilio Viennenſi editam, quæ incipit *Quo-*
» *niam*, innovando, & ampliando ». Itaque ſi Laurentius brevioribus veſtibus ita coloratis, auroque intextis utatur, ut in iis pompa, aut luxus appareat, ac proinde ex iis ſit, de quibus S. Hieronymus *in epiſt. 22. ad Euſtochium* tradidit: *Tales quum videris, Sponſos magis exiſtimato, quam Clericos;* graviter certe delinquit,
 quum

quum in re gravi Tridentini decretum contemnat. Vide Monacellum *Formul. leg. pract. in ſuppl. ad* 1. *tom. num.* 260. *& ſequ.* Excuſatur vero a peccato, ſi prædictæ, quibus utitur, veſtes Eccleſiaſticæ honeſtati conformes ſint: quæ conformitas in noſtra Provinciali Genuenſi Synodo *loc. cit.* ita deſcribitur: *Clerici omnes, etiam advenæ, qui Clericorum privilegio uti velint, talares in Urbe veſtes, nec non in Caſtellis, atque Oppidis; ruri vero, & in itinere dum erunt, aliquanto breviores, nigri tamen, aut alterius honeſti coloris, arbitrio Ordinarii geſtent.*

Quod ſi Laurentius veſtibus pompam, aut luxum redolentibus ad Eccleſiam ſacrum facturus accedat, meminerit eorum, quæ tradit Benedictus XIV. *Inſt.* 34. §. 4., & ſuſpenſionis, quam in noſtra Diæceſi ipſo facto incurrit juxta Edictum ab Archiepiſcopo Julio Vincentio Gentili in Synodo Diæceſana an. 1683. promulgatum, quod hic referre opportunum ducimus.

FR. GIULIO VINCENZO GENTILE ec.

» Eſſendo pervenuto a noſtra notizia
» non ſenza grave noſtro rammarico, che
» alcuni Sacerdoti ſcordevoli non ſolo dell'
» obbligo, che a tutti li coſtituiti in ſacris
» vien impoſto dal Concilio di Trento *ſeſſ.*
» 14. *cap.* 6., e dalla Coſtituzione di Siſto
» V. 1589., e da replicati ordini da Noi
» uſci-

» uſciti in conformità dell' ultima Sinodo
» Diocesana, che tutti li ſuddetti portino
» abito condecente allo ſtato loro reſpettiva-
» mente, ma di più che taluni ſi faccino
» lecito di accoſtarſi a' Sacri Altari, ed ivi
» celebrare la Santa Meſſa in abito indecen-
» te, e poco differente dal laicale in grave
» ſcandalo di chi gli oſſerva; Noi per rime-
» diare a sì gran diſordine inibiamo ſtret-
» tamente ſotto pena della ſoſpenſione a Di-
» vinis ipſo facto incurrenda a ciaſcun Sa-
» cerdote di qualſivoglia condizione, grado,
» o dignità che ſia, di celebrare la Santa
» Meſſa ſotto qualſivoglia preteſto, colore,
» o titolo in altro abito, che in veſte,
» almeno talare, intiera, e non ſpezzata,
» o rimediata con grembiali: Volendo an-
» co abolire onninamente così abbominevo-
» le invenzione, a queſt' effetto incarichia-
» mo la conſcienza de' Parrochi, Rettori,
» Sacriſtani, Cappellani, ed ogni altri De-
» putati al ſervizio di qualſiſia Chieſa, e
» ſotto la ſteſſa pena di ſoſpenſione a Di-
» vinis da incorrerſi ipſo facto, gli ordi-
» niamo, non permettere, che nelle loro
» Chieſe, ed Oratorj reſpettivamente, com-
» prendendovi anco le Chieſe delle Mona-
» che, e de' Conſervatorj, ſi celebri da al-
» cun Sacerdote la Meſſa con veſte diffe-
» rente dalla talare ſuddetta. Eſortiamo pa-

» rimente tutti li Capi delle Religioni, Com-
» pagnie, o Congregazioni a concorrere
» negli ſteſſi ſentimenti, con non ammet-
» tere nelle Chieſe loro un tal abuſo, che
» ridonda in poco decoro delle Chieſe iſteſ-
» ſe, ed a Noi recherebbe diſguſto non
» ordinario ... Dat. in Genova nel Palazzo
» Archiepiſcopale li 27. Ottobre 1682.

Quod quidem Edictum in deſuetudinem abiiſſe, nemo dixerit; viget enim, & quia in Synodo Diæceſana fuit promulgatum; & quia plenam ejus obſervantiam Archiepiſcopus noſter, Sacrorum Canonum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex ſolertiſſimus, ſub eadem pœna in Sacra Viſitatione præcepit.

Pro Beneficiariis vero, quæ erat altera quæſiti pars, ſpecialis adeſt prohibitio, & pœna. Nam Xyſtus V. in Conſtitutione *Quum Sacroſanctum* Clericos ſive in Sacris, ſive in Minoribus Ordinibus conſtitutos, non deferentes veſtes talares, Dignitatibus, Canonicatibus, beneficiis ſimplicibus, ac penſionibus ipſo facto privatos decernit: *Sine ulla monitione, citatione, judicis decreto, aut miniſterio, ipſo facto privatos declaramus*. At hanc Conſtitutionem uſu receptam non eſſe communiter teſtantur Doctores, quos inter Giraldi *Exp. Jur. Pontif. par. 2. ſect. 48.*, ubi ſubdit: » Acceſſit etiam uſus, & praxis timo-

» rato-

» ratorum, ac tolerantia, & acquieſcentia » Succeſſorum Pontificum, & Eccleſiaſtico- » rum Præſulum, a quibus videmus ſum- » mopere quidem inniti ſuper delatione ve- » ſtium clericalium, non autem *talarium*, « niſi quando ſupra enunciati Clerici Eccle- » ſiam ſunt ingreſſuri, ſive ad Miſſarum » myſteria, ſive ad divina officia, & eccle- » ſiaſtica munia obeunda, ut clariſſime pa- » tet ex eorum edictis, & ſynodalibus ſtatu- » tis, ſacrorum Canonum rigorem emollien- » tibus, relatis a Benedicto XIV. in *cit.* » *Synod. Diæc. lib. 11. cap. 8.* Imo ipſemet, » quum eſſet Archiepiſcopus Bononienſis, » in binis ſuis Inſtitutionibus ad Clerum » Bononienſem *la* 34. & 71. in ordine, non » obſtante Xyſti Conſtit. *Quum Sacroſanctum*, » quam citat *Inſtit. 71.*, obligationem veſtem » talarem deferendi limitavit ad ſolos Sa- » cerdotes, Miſſam celebraturos: de qua » obligatione iterum ſermonem inſtituens » *cit. cap. 8. de Synod.*, ſe ad eaſdem Inſti- » tutiones duntaxat retulit ».

Ad III. Comam ſuppoſititiam, *vulgo Parrucca*, Eccleſiaſticis viris ſemper interdictam fuiſſe egregie probat Benedictus XIV. *de Syn. Diæc. lib. 11. cap. 9.*, cujus uſum ſi aliquando ex juſta, gravique cauſſa conceſſere Epiſcopi, ac Romani Pontifices, non aliam permiſere, niſi quæ nullam præſe-

ferat vanitatem, ſed tanta ſit moderatione, ac modeſtia concinnata, ut omnibus manifeſte appareat, eam ob meram neceſſitatem, non ad luxum, & pompam, ad capitis non ornamentum, ſed tegumentum adhiberi. » Siquis hujus modeſtiæ exemplum de» poſcat, ea, quæ ſubjicimus a Cardinali » Hieronymo Grimaldo deſumpta, accurate » perpendat, atque imitetur: *Memineris igitur, non indultum hoc eſſe vanitati, ſed neceſſitati conceſſum: quapropter non ſolum monitum te eſſe volumus, ut Coronam non erubeſcas, ſed & præcipimus tibi, quatenus qui in Tonſuræ clericalis ſuſceptione capitis comam depoſuiſti, cæſariem ſic componendam cures, ut & color ætati congruat* (quamobrem neque caſtanei, neque flavi capilli ſenibus conveniunt) *& pateant aures, & Corona appareat. Nec enim* (ſequitur Decretum) *ea noſtra mens eſt, ut quum in Presbyterali ordine ſis conſtitutus, & ſimiles, atque graves mores pro ſtatus ratione præferre debeas, juvenile & mundanum ornamentum, quod & clericalis Tonſuræ, & Noviſſimorum memoriam imminuat, aut penitus tollat, laicisque ſcandalo ſis, geſtare valeas*: Bened. XIV. *Inſtit. 96.*. Et Synodus Alexandrina *an. 1732. cap. 10. de vit. & honeſt. Cleric.* inter alia hæc ſtatuit: *Multo magis præcipimus, nequis ex Clericis comam nutriat, vel concinnet, vel coma ficititia utatur, neque pulvere cyprio*

prio aſpergat: quod ſi neceſſitas poſtulaverit, comam fictitiam, nonniſi prævia conceſſione noſtra, & omnino eamdem juxta conceſſionis formam adhibebunt, ita ut in hac materia peccantes habendi ſint, tanquam in Tonſura non incedentes, iiſdem pœnis puniendi. Uſus porro ficti capillitii non ad ornatum, ſed ex vera rationabili cauſſa debet impetrari. Hinc, ut notat Monacelli *loc. ſupra cit.*, Sacra Congr. Concilii *ſub. die 9. Decembr 1690. lib. 40. Decret. fol. 765. in una Bergomen.* rejecit inſtantiam Abb. Petri Nigroni Canonici Cathedralis deferendi comam fictitiam in Choro ſub prætextu frigiditatis, & ſubtilitatis aeris.

Obiter hic notandum cum Giraldi *Expoſ. Jur. Pont. par. 1. ſect. 314.*, quod delatio comæ adſcititiæ tam Clericis, quam Sacerdotibus extra Miſſam indiſcriminatim prohibita fuit a Benedicto XIII. in *Conc. Romano celebrato an. 1725. tit. 16. cap. 3.* Nec hodie illa uti poſſe ſine Epiſcopi licentia oſtendit Benedictus XIV. *Inſtit. 34.*, *& 96.* Quod vero attinet ad ejuſdem delationem in actu celebrationis Miſſæ, adeo prohibita eſt, ut nec Epiſcopus, nec Legatus Apoſtolicus facultatem eam deferendi impertiri poſſit, ex declaratione Innocentii XII. relata in *cit. Inſtit. 34.* Quod & in præſens inviolabiliter obſervatur; quum ſolus Summus Pontifex, & nonniſi ex urgenti cauſſa, eam concedat.

Laurentius igitur, qui comam adſcititiam etiam ad altare geſtat, licet illius uſus nunquam fuerit ipſi adeo neceſſarius, & nimia concinnatio clericali modeſtiæ, & conceſſionis formæ non reſpondeat, graviter peccat; nec ei, niſi reſipiſcat, Confeſſarius ſacramentalem abſolutionem debet impendere, ut monet Clericatus *de Sacrif. Miſſæ dec. 48.* apud Ferraris *v. Coma num. 14.* Hac enim ſancta prudentique ſeveritate, veluti quodam freno, coerceretur nimium late noſtris hiſce temporibus ſerpens eorum abuſus, qui Eccleſiaſticæ gravitatis obliti, ut vel elegantiores, vel nobiliores appareant, exteriorem hominem potius, quam interiorem ornare ſolliciti, comas ſuppoſititias ad luxum, faſtum, vanitatemque mundanam compoſitas deferunt. Hinc ad rem P. Concina in compendio *Theol. Chriſt. tom. 2. lib. 12. diſſ. 1. cap. 7. num. 3.* „ Quid vero de illis Con-„ feſſariis dicendum, qui ejuſmodi politulos, „ toroſulos, barbatulos, comatos, criſpatos, „ & cincinnatos Clericos, faſtum, venerem, „ & ſatanicam pompam uſquequaque cre-„ pantes abſolvunt, & ad altaria ſacrifica-„ turos mittunt? *Qua conſcientia*, (inquit „ Merbeſius *diſſ. 6. qu. 15.*) *& religione Con-„ feſſarii iis abſolutionis beneficium impendunt, „ extrema ſupplicia cum hujuſmodi larvatis Cle-„ ricis experturi?*

Men-

Mense Novembri.

FAbricius, conſtituta dote mille aureorum, filiam ſuam nuptui tradit Aurelio, eique loco pignoris dotis non ſolutæ concedit agrum, cujus fructus ſuperant fructus ab ipſa dote percipiendos: quia tamen Aurelius a creditoribus vexatus pecunia magis, quam agro indiget, pœna apponitur librarum 500., niſi Fabricius dotem ſolvat intra triennium; & interim, ut ab uno ex creditoribus nimium moleſto tueri ſe poſſit Aurelius, eidem tradit Fabricius ſcutata 150. ad ponendum loco pignoris, exactis ab Aurelio ſcutatis ſex pro hac traditione, quam Fabricius venditionem appellat.

Quæritur I. An Aurelius omnes fructus agri computare debeat in ſortem.

II. An ſi triennium elabatur ante ſolutionem dotis, poſſit Aurelius juſte repetere pœnam appoſitam.

III. An jure potuerit Fabricius illa ſcutata ſex exigere ab Aurelio.

DECISIO.

CAſus iſte, qui ex multiplicitate titulorum ſalebroſus fortaſſis apparet, iſtiuſmodi nullatenus erit, ſi quæ Civili, & Eccle-

ſiaſtico

ſiaſtico Jure probata ſunt, illico ſtatuantur. Illud itaque tutiſſimum in primis habetur, uſurarium, ac illicitum eſſe contractum vulgo *antichreſeos*; ideoque fructus pignoris in ſortis aſſecurationem recepti creditorem captare non poſſe, ſed omnes vel eſſe reſtituendos, vel in diminutionem ſortis computandos. Hoc ſancitum legimus *Cap. 1. de uſur.* in Turonenſi Concilio magnæ quidem auctoritatis, quod ei Alexander Papa III. præfuerit, *in lib. 5. Decret. tit. de uſur. Cap. Conqueſtus, & in lib. 1. Cod. L. Si dominium de pign.*; quibus propterea æquiſſimis ſanctionibus concordi calamo ſubſcribunt cum DD. Thom., & Anton. omnes Theologi, & Canoniſtæ. Hujus autem ratio apertiſſima eſt, ut nihil magis. Quælibet res domino ſuo fructus parit, nec ulli unquam licet de re aliena fructus recipere: ſed rei oppignoratæ dominium in mutuatorem non tranſit; nequit ergo mutuator rei ſibi oppignoratæ, cujus dominium non habet, fructus percipere, & ſi perceperit, iniquus erit, & uſuræ crimine culpandus.

Secundo ab hac lege dotale pignus excipitur: unde gener, cui dos a ſocero nondum ſoluta fuit, fructus dati pignoris licite, juſteque ſibi nuncupat, quin eos in ſortem deducere teneatur. Id etiam in Jure Pontificio decretum eſt; colligitur enim *in 5. Decret. tit. 19. de uſur. Cap. Salubriter* ab hoc Innocentii III. reſcri-

reſcripto : *Sane generum ad fructus penſionum, quæ ſibi a ſocero ſunt pro numerata dote pignore obligatæ, computandos in ſortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda :* non jam, ut bene norunt Theologi, quod pignoris uſuræ, quæ Naturali, & Divina Lege vetantur, eaſdem in dotali pignore ex Pontificis diſpenſatione repetere liceat, ut aliqui non tam imprudenter, quam falſo autumarunt. Abſit, ut de Summo Eccleſiæ Capite hæc opinemur: in iis enim, quæ Naturalis, & Divini Juris ſunt, nequeunt Romani Pontifices diſpenſare. Sed hoc plane decrevit, ut ea, quæ Naturali Lege debita ſunt, Lege etiam Eccleſiaſtica confirmarentur. Dos ſiquidem marito Naturæ Jure debetur, eique in pretium datur ad matrimonii onera ſuſtinenda. Sicut ergo maritus dotis promiſſæ, & non ſolutæ fructus jure citra uſuram poteſt exigere; ita & fructus repetere, qui ex dotali pignore ſibi proveniunt. Et conſequenter conjuges, qui onera matrimonii non ſubeunt, hoc juris privilegio non gaudent, & dotalis pignoris fructus abſque uſuræ crimine retinere non poſſunt. Hæc *L. 69. §. 3. ff. de jur. dot.*, *& L. In Inſulam 42. §. Uſuras ff. de ſolut. matrim.* præſcripta ſunt; ideoque humani juris decreta novo veluti robore in Jure Pontificio firmantur.

His

His itaque præſtatutis, bonoque in lumine poſitis, reſpondeo ad I., Aurelium fructus agri, quem a ſocero ſuo Fabricio pro dote 1000. aureorum nondum ſoluta loco pignoris habuit, omnes abſque ulla uſuræ culpa recipere poſſe, quin eos in ſortem computare debeat; tametſi ii ſuperent fructus ab ipſa dote percipiendos. Iſtis tamen legibus, ut & onera matrimonii ipſe ferat, & fructus ferendis oneribus longe copioſiores non ſint; alioquin eorum exceſſus ſortem minueret, ſortique eſſet proportionaliter accenſendus.

Et ſane, ſi matrimonii onera ſuſtineat Aurelius, hunc oppignorati ſibi agri fructus citra uſuram ſuos facere poſſe, uti præmonuimus, indubitata res eſt; ea ab utroque Jure probatur, & in eam omnes conveniunt. An autem hujuſmodi fructus ſin minus ad dotem, ſaltem ad onera matrimonii proportionales exigantur, ita ut eorumdem exceſſus in diminutionem ſortis cedendus ſit, nec Leges declarant, nec Sacri Canones definiunt. Imo plerique Doctores id unum præſtant, ut dotalis pignoris uſuras ex *cit. Cap. Salubriter* licitas doceant; quæſtionem vero de earumdem exceſſu alto premunt ſilentio. Sed quod expreſſe nec Leges, nec Sacri Canones definiunt, id naturalis juſtitiæ æquitas præſcribit. Etenim dotales uſuræ ideo Civili, & Canonico Jure

Jure receptæ ſunt, ut ſint matrimonialium onerum compenſatrices (ex dictis); ſed quælibet compenſatio proportionem, & æqualitatem extremorum deſiderat, uti advertit Petrus Baldus in *L. 2. Cod. de uſur.*; ergo dotales uſuræ cum ſumptibus, ceteriſque oneribus proportionaliter concurrere debent; ergo ſiquid ſuper exigitur, id indebitum eſt, atque fœneratitium. Rationi ſua accedit auctoritas; nam ita ſentiunt Leonardus Duardus Cler. Reg. *in Proœ. Conſtit. S. Pii V. de cenſ. q. 24. n. 12.*, Ubaldus Giraldi nuperrimus Scholarum Piarum Theologus *in Expoſit. Jur. Pont. ad tit. 19. de uſur. ſect. 874.*, Bartholomæus Ugolinus, Roderigus, & alii plurimi apud clariſ. Juriſconſultum Honoratum Leotardi, qui in ſingulari ſuo *de uſuris lib. q. 28.* hanc opinionem fuſe nitideque defendit.

Aſt hic oneroſum matrimonii jugum indolenti nimium animo inſpicere videbor, meque ſeverioris ethicæ ſectatorem forſitan incuſabit, ſiquis Salmanticenſes audierit, vel P. Franciſcum Zechium celeberrimum Ingolſtadienſis Academiæ Theologum, qui Benedicti XIV. circa uſuras Encyclicam ad Italiæ Epiſcopos datam ſub *die 1. Novembris anno 1745.*, tribus editis diſſertationibus, erudite illuſtravit, atque explicuit. Hic *diſſert. 2. cap. 1. ſect. 4. de jure pign. §. 90.* quamvis edoceat, quod pro onere in ſe ſuſcepto alendæ uxoris

jure

jure merito maritus percipiat fructus ex pignore dotali, licet iſti forte ſuperent fructus ex ipſa dote percipiendos; ideoque id contendat, velitque unum, dotales uſuras ad fructus, quos ferret ipſa dos ſoluta, proportionales eſſe non oportere; nihiloſecius ex rationibus, quibus opinionem ſuam confirmat, in Salmanticenſium Theologorum ſententiam abire videtur; & fructus quotquot ex dotali pignore proveniunt, omnes abſque ſcrupoloſa ferendorum onerum computatione colligi poſſe contendit. Iſtorum itaque momenta ſunt: I. Quia non apparet ratio reſtringendi Pontificis deciſionem ex *Cap. Salubriter* petitam. II. Quia dotis ſolutæ, vel ſolvendæ fructibus non ſolum compenſantur expenſæ ad alendam uxorem neceſſariæ, quarum quantitas determinari utique poteſt, ſed totum onus alendæ ſimul uxoris, & regendæ familiæ conſideratur; quod onus, utpote involvens plurimas moleſtias, curas, atque labores, certam æſtimationem non habet, nec ullam recipit compenſationem. III. Quia exceſſus quilibet, ſi forte contingat, is in favorem generi non avare, ſed liberaliter & generoſe a ſocero donatus cenſetur; ſicut cum dos ingens, & ſuperabundans ad onera ſupportanda eidem aſſignatur.

Verum enimvero, ſiquid ego ſapio, ſiquid intelligo, iſthæc tanti non ſunt, ut

Theo-

Theologum virum movere valeant. Non movet primum; nam Pontificii Decreti reſtringendi rationem, eamque firmiſſimam dedimus. Cui ſubjungere liceat, generalem ibi legem ſtatuiſſe Innocentium pro dotis caſu ordinario, qui ut plurimum accidit, & in quo frequenter ad onera matrimonii ferenda dos non æquatur; nullatenus vero pro ſingulari caſu dotis majoris, qui præter morem quandoque contingat, & ad quem lex generalis extendi citra æquitatem non poteſt. Quod etiam ipſamet Innocentiani Reſcripti verba haud obſcure demonſtrant. Non enim reſcribit Pontifex, generum omnes poſſeſſionum oppignoratarum fructus ſemper percipere poſſe; ſed unice decrevit, generum ad eos in ſortem computandos non eſſe compellendum, uti notat Card. de Lugo *de juſt. & jur. diſp. 25. ſect. 8. n. 158.:* quia ad eum juridice compellendum conſtare deberet, utrum prædicti fructus matrimonii onera vel æquent, vel ſuperent; quo in caſu nil Pontifex ſancivit, ſed ex Jure Communi Theologis definiendum reliquit. Non igitur Pontificiam Conſtitutionem reſtringimus, ſed in obvio legitimoque ſenſu interpretamur, eamque ad naturalis juſtitiæ lancem revocamus.

Nihilo plus movet ſecundum, cum falſo innitatur principio. Connubii contractus juxta Leges tum Civiles, tum Eccleſiaſticas perpetuam

tuam atque individuam vitæ ſocietatem ad procreandam, & educandam ſobolem inter conjuges intendit: ideo communem in adminiſtranda re familiari, & educanda prole operam, curam, atque laborem exigit. Cum igitur hæc omnia maritus ex officio familiæ ſuæ præſtare debeat, & in his exequendis uxor etiam operam ſuam præbeat, nihil pro eiſdem marito debetur. Dos utique illi, dotiſque fructus conceditur; ſed unice ut compenſentur expenſæ ad uxorem, familiamque alendam neceſſariæ. Ergo dotalium pignorum fructus, quatenus excedunt expenſas, in dotem traducendi, eique imputandi ſunt.

Tertium longe minus præ ceteris urget: quoniam liberalem illam, generoſam, & ſuperabundantem fructuum elargitionem præſumere jura non ſinunt (*L. Campanus ff. de oper. liber. L. Rem legatam ff. de adim. leg.*) præſertim in neceſſitate, in qua plane ſocer conſtitutus eſſe videtur, dum ob defectum pecuniæ dimittit pignus, vel promittit uſuras. Quare dicendum eſt, immodicos ftuctus, & uſuras ex avaritia generi potius extorqueri, quam ex liberalitate ſoceri donari, qui ſcilicet, ut exactionem dotis redimat, & filiam locet, huic iniquæ conventioni conſentire cogitur. Nec Theologos adverſarios dotis paritas juvat, quæ ingens, & ſuperabundans offeratur. Dotis ſiquidem quantitas a libera dotan-

dotantis voluntate dependet, quæ a nulla lege reſtringitur, & quæ in explicitis contrahentium verbis dignoſcitur. Non eſt ergo, ut a propoſita ſententia recedamus, & conſequenter dotalium uſurarum exceſſus vel reſtituendos eſſe concludimus, vel in ſortis diminutionem proportionaliter deducendos.

Ad II. reſpondeo, quod pœna ob dilatam dotis ſolutionem appoſita juſte ab Aurelio repeti nequit; quia pœna iſthæc moratoria in Aurelio iniqua eſt, & labe fœnoris turpiter fœdata.

Jam vero uſura vulgo punitoria, ideſt pœna conventionalis, quæ mutuo interdum apponitur, ut mutuatarius aliquid ſupra ſortem ſolvat, ſi tempore prædefinito ſortem non reddat, ex genere ſuo non reprobatur; cum adjecta illa credatur non ratione lucri ex mutuo captandi, ſed ratione mulctæ ad contumacem moroſi debitoris negligentiam coercendam. Id non pauca Juris lòca permittunt, ut *L. Promiſſis* 37. *C. de tranſact. ll. 68.*, *&* 77. *ff. de verb. oblig.*, aliæque apud Menochium *de Arb. judic. caſ. 260.*, quas Innocentius Papa IV. in ſuo Decretalium commentario his verbis recipit, confirmatque: *Notandum, pœnam impoſitam ex conventione partium licere exigere, dummodo intentio ſit recta, ſcilicet ut pareatur placitis, & non ad uſuras, vel lucrum.... ſed ſecus eſſe, ſi pœna eſſet appoſita in fraudem &c., in Cap. Suam 9.*

de pæn. in 6. Eadem ferme ſcribit S. Antoninus 2. *p. tit. 1. cap. 7.* §. 22., quibus propterea Doctores unanimiter conſentiunt.

At vero cum periculoſum omnino ſit, ac timendum, ne captioſa fœnerandi cupiditas malam enutriat voluntatem; ideo nequis ſub ementito falſoque pœnarum nomine aliquid ſupra ſortem in mutuo recipere, atque ita uſuram, injecto veluti pallio, velare queat; pactum pœnæ conventionalis quibuſdam conditionibus Theologi circunſcribere ſolent: videlicet quod ex libero creditoris conſenſu pœna apponatur, ne ipſe neceſſitate compulſus interuſurium ſolvere pareat: quod nonniſi ex ejuſdem notabili, & malitioſa mora impoſita pœna exigatur; cum nemo ſine culpa damnandus ſit: quod moderata ſit pœna, eaque culpæ proportionalis: & quod demum in pœnali pacto ſemper occurrat id, quod intereſt creditoris. Quarum conditionum ſi vel una deficiat, honeſtas quoque deerit pœnæ conventionalis.

Non me fugit, ultimam hanc conditionem ab junioribus plerumque Theologis prætermitti, qui uſuram punitoriam ex ſola, & ſimplici debitoris mora licitam defendunt. Unuſquiſque ſuarum rerum dominus eſt, ajunt Salmanticenſes *tract. 14. de contract pun. 8.* §. 1., & naturali civilique jure conceditur, ut homines mutuo ſeſe obligare queant pœ-

nis

nis conventionalibus appoſitis, ut contractus firmiores reddantur, & negligens debitoris incuria ſtimuletur. Eadem ſentiunt Henricus Villaboſius *tract.* 22. *diſ.* 9. *n.* 1., Joannes Sala *de uſur. dub.* 21., Card. De Lugo, Leſſius, Lacroixius, & alii non pauci hujus Scholæ Theologi.

Verumtamen ab hac ſententia, utpote minus probabili minuſque tuta, Theologi ſanctiores recedunt, & pœnam quamlibet mutuo adjectam, abſque eo, quod creditoris interſit, fœneratitiam eſſe merito contendunt. Nam pœna, ſiquæ apponatur, ea vice uſurarum eſt; eodem igitur titulo licita erit, quo uſuræ licitæ ſunt; ſed uſuræ omnino interdictæ ſunt, nec alio titulo licent, niſi propter damnum creditori emerſurum; ergo & hoc uno duntaxat titulo, quatenus interſit, conventionalis pœna licebit.

Adde quod juſtitiæ commutativæ hæc eadem pœna repugnet. Juſtitia ſiquidem commutativa æqualitatem creditoris ad debitorem expoſcit, ita ut creditori reddatur, quantum eidem per mutuum defecerit: ſed ſi ex ſola, & ſimplici mora uſuræ præſtarentur, creditor plus caperet, quam illi defuerit; cum damnum ex debitoris mora nullum illi allatum fuiſſe ponatur: ergo exactio uſuræ ob ſolam, ſimplicemque debitoris moram fœnebris eſt, & juſtitiæ commutativæ contraria.

His momentis a ratione petitis accedunt Natalis Alex. *lib. 3. art. 5. reg. 5.*, Daniel Concina *t. 7. lib. 3. diſſ. 3. cap. 14. §. 3.*, Franciſcus Zechius *diſſ. 1. cap. 6. §. 152.*, aliique apud ipſum. Immo Joannes Pontaſius rigidioris alioquin doctrinæ Theologus, quamvis verbo *uſura Caſ.* 34. in priorum Caſuiſtarum opinionem indulgens abeat, nihilo tamen minus reſolutionem ſuam hac adjecta monitione concludit: videlicet pœnam conventionalem, ſi damnum creditoris non adſit, peculiaribus Francorum legibus ſapienter eſſe rejectam; quia jure præſumitur, eos, qui eam ſtipulantur in pecuniis ſuis mutuo tradendis, legibus abuti ad uſuras ſuas ſub ejuſmodi prætextis ſimulationibus involvendas. Quod etiam in Aurelianenſi Conſtitutione Caroli IX. Regis Chriſtianiſſimi ſancitum eſt.

Hinc Theologis iſtis ut ut rigidioribus dant manus Civilium Legum Doctores, qui pœnam ob debitoris moram abſque eo, quod interſit, in mutuo debitam unanimes rejiciunt; & quorum ſententiam hac in re priori præferendam, & ego cenſeo. *Sunt enim*, inquit Franciſcus Accurtius Doctor Bononienſis in *L. Cum ſtipulati 90. de verb. oblig.*, *a Chriſtiano homine penitus extirpandæ uſuræ, ut ne quidem ullum veſtigium remaneat quæſtus infeliciſſimi:* Neque hic Juriſperitos nominatim appello: duos

duos præ ceteris laudo, Cardinalem Franciſcum Manticam notæ eruditionis virum, & D. Honoratum Leotardum, virum & ipſum in coercendis uſuris nemini ſecundum. Ille *lib. 14. de tacit. & ambig. convent. t. 37. n. 45.* teſtatur, Rotam hanc noſtram opinionem ſequi, hanc in Statuto Romæ cautam eſſe; & antiquas, quas ſupra memoravimus, leges jure noviſſimo eſſe abrogatas; ſicut & illæ de moderati fœnoris honeſtate abrogatæ ſunt. Alter *quæſt. 4. n. 35.*, *& quæſt. 38. per totum* ſententiam noſtram ratione, & auctoritate firmatam his verbis non tam docte, quam religioſe concludit: *Quis putaſſet, Juriſperitos ſententias ſequi meliores, atque ſanctiores? Et ſi ſententia iſthæc obtinet in civili foro, quanto magis in Eccleſia, & Eccleſiaſticis viris retinenda eſt, qui non debent cum aliena jactura locupletari; & proinde non poſſunt pœnas conventionales exigere, niſi quatenus interſit.*

Quæ cum ita ſint, propoſita nobis quæſtio hoc uno argumento tota reſolvitur; quin reliquæ ad pœnæ conventionalis juſtitiam requiſitæ leges in examen vocentur. Aurelius in ſoluta ad triennium dote adjectam pecuniæ pœnam exigere juſte nequit, niſi ex culpabili Fabricii mora certo conſtet aliquod ſibi damnum emerſurum; ſed nullum ex prædicta mora Aurelio damnum contingere poteſt; cum ipſe in aſſecurationem dotis non-

dum ſolutæ agrum poſſideat, & interim agri fructus, eoſque copioſiores recipiat; ergo pœnam illam conventionalem in Aurelio uſuræ vitio, ac fœnoris labe peccare certiſſimum eſt. Quinimmo ſi mulctam exigat, tunc ex dotali uſura uſuram ſecundam reciperet, quod ſpecies quædam eſſet turpiſſimi anatociſmi ab omni lege prohibiti.

Hinc patet, quanti valeat allata in oppoſitum ratio, quæ a Salmanticenſibus, eorumque aſſeclis plurimi adeo habetur. Unuſquiſque ſuarum rerum dominus eſt; ideoque poteſt circa illas, quibuſcunque ipſe maluerit, etiam pœnalibus conditionibus, ſeſe obligare; nec conditiones iſtæ ab jure vetantur. Sit ita: ſed turpes eſſe nequeunt conditiones appoſitæ, nec æquiſſimis legibus contrariæ, qualis uſura ſimpliciter moratoria demonſtratur. Quare Matthæus Weſembechius Lovanienſis Doctor ad titulum *de uſuris n. 9.* de pœnis conventionalibus agens, quas leges propter moram præſtari jubent, ſapienter monet, quotieſcunque creditoris nihil intereſt, toties illum abuti indulgentia legum, ſi poſt moram lucrum aucupetur.

Erit fortaſſe, quæ ſcrupulum moveat, auctoritas Innocentii III. Romani Pontificis, ex *Cap. Suam de pœn. in 6.*, ubi pœnas ſimpliciter conventionales in mutuo approbare videtur. Sed fruſtra: quia ad Epiſcopum Spoleta-

letanum reſcribens, id, quod ex exactione pœnæ captatur, iniquum quæſtum Pontifex appellat; ac proinde jubet, creditores reſidui ſolutione eſſe contentos, & ne debitori ſuper exactionem pœnæ moleſtia ulla inferatur: quod ſententiæ noſtræ favere nemo non videt.

Ad III. dico, quod Fabricius tradens Aurelio 150. ſcutata loco pignoris deponenda, & aliquod exinde lucrum ultra ſortem recipiens, tametſi uſuræ fœnoriſque peccato nec damnari illico queat, nec illico abſolvi; attamen eorum fructum ad moderatam licet ſex ſcutatorum ſummam redactum anticipato nequit exigere, quia vitioſa exactio eſt, & verum ementiti fœnoris palliolum.

Porro hæc judicio meo comperta res eſt, neque in re compertiſſima reſolvenda diutius morabor. Dum Fabricius determinatam pecuniæ quantitatem ad ponendum loco pignoris tradit, re ipſa pecuniam ipſemet non deponit Fabricius, ſed eam mutuat Aurelio, ut hic moleſti nimium creditoris vexationem dato pignore redimat. Siquid ergo lucri ultra ſortem recipiat Fabricius, illud ex vero mutuo aucupari cenſetur, & conſequenter interuſurium committere. Nihilo tamen minus cum pecuniam non mutuo dare, ſed ejus ſimpliciter uſum vendere Fabricius præſumat, hunc ab uſuræ vitio excuſare videtur S. Tho-

mæ ſententia, quæ 2. 2. *quæſt*. 78. *art*. 1. *ad* 6. ſic legitur : *Uſus principalis pecuniæ eſt diſtractio pecuniæ in commutationes ; unde non licet uſum ejus vendere .... Sciendum tamen, quod poteſt eſſe aliquis ſecundarius uſus pecuniæ, utpote ſiquis concederet pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ad ponendam loco pignoris : & talem uſum pecuniæ licite homo vendere poteſt*. Quæ verba Fabricii conſcientiam ponunt in tuto.

Recte utique differit Angelicus; nam magnopere diſcrepat pecunia mutuo data a pecunia ſimpliciter locata. In mutuo pecuniæ mutuatæ dominium ad mutuatarium transfertur cum uſu; nihil ergo mutuatori percipere licet ex uſu rei, cujus dominium, cum tranſtulerit ad alterum, ejus eſſe deſiit; & ſi percipiat, pro uſurario ſe gerit. Sed in locatione uſus a dominio ſecernitur; in hac enim locatæ pecuniæ dominium retinetur, & ejus duntaxat uſus venundatur. Unde ſi aliquo inopinato caſu apud locatarium inculpabiliter pereat, non ipſi, ſed locatori peribit, juxta illud Juriſperitorum effatum : *ſi res perit, domino perit*; & tunc aliquod lucrum propter operas in hac locatione ſubeundas, vel etiam ob pecuniæ amittendæ periculum exigere juſte poteſt.

Num autem ſub hac Angelici Præceptoris doctrina Fabricius abſque ullo uſuræ ſcrupulo tutus

tutus quieſcere poſſit, quis illico credat? Quare diſtinguendum puto. Dum 150. ſcutata loco pignoris deponenda Aurelio tradit Fabricius, vel pecuniæ dominium, ejuſque uſum transfert in Aurelium, ita ut apud hunc fortis periculum maneat; ideoque integram ſalvamque ſortem eidem reſtituere teneatur: vel pecuniæ uſum Aurelio unice vendit, ſeu potius locat, illius ſibi retento dominio; ita ut ipſe locator, non Aurelius conductor fortis periculum ſubeat. Si primum; pecuniam ille mutuat, non vendit; & lucrum inde captare fœnus eſt, uſura eſt, ſpecioſo quodam venditionis titulo larvata: ſi ſecundum; venditio erit, & moderatos ex ea fructus citra uſuram repetere poterit. Id ultro concedit Angelicus Præceptor; & quod a Præceptore conceditur, nequeunt reprobare Diſcipuli.

Unum igitur reſolvendum reſtat; an Fabricius iſtiuſmodi fructus ab integra 150. ſcutatorum ſumma detractos ſibi in anteceſſum retinere valeat. Hoc porro vitioſum diximus, atque fœneratitium; & Theologorum nemo vertit in dubium, ſi paucos excipias, qui dum libertati favent, ad laxiora declinant. Nemo, inquam, vertit in dubium, tum quia ſi 150. ſcutata dum loco pignoris deponenda tradit, ſex continuo ſibi retineat, ratione lucri ex depoſito debiti jam 144. ſolummodo traderet, & interim fructus ex 150. injuſte reci-

reciperet ; tum quia , integram ſalvamque ſortem repetendo , ſortis etiam actuarium ſecundo fœnore inique repeteret . Quibus forte momentis commotus S. Pius V. in ſua de cenſibus Conſtitutione *Cum onus XIV. Kal. Feb. an. 1558.* edita iſtiuſmodi anticipatas ſolutiones, utpote olentes uſuram, ſevere prohibuit: & ſiquæ prærogetur , aut ſolvatur , tunc integrum ſortis pretium non fuiſſe ſolutum jura communiter præſumunt , ut ex *L. Qui ſit ff. de ſolut.* , *& L. Eos §. Super C. de uſur.* , Cardin. Toletus *lib. 5. cap. 48. n. 5.* , Azorius *in d. cap. 9. in fine*, Ugolinus *in d. cap. 17. n. 1.* , aliique Theologi , & Canoniſtæ demonſtrant .

Mense Decembri.

Alipius intelligit , Franciſcam infirmitate detentam ſepulturam apud ejus Eccleſiam elegiſſe . Ideo frequenter eam viſitat; & morbo ingraveſcente illius Confeſſionem excipit , quin de ea certiorem reddat Parochum: quo inſcio in privato domus Oratorio Miſſam celebrat , ut Viaticum Franciſcæ miniſtret ; & quia periculum urgere putat , eam Sacro Oleo inungit . Franciſca convaluit, & jam electam ſepulturam blandis Alipii ſermonibus illecta promittit .

Quæritur I. An , & quomodo excipientes

tes infirmi confeſſionem, teneantur Parochum de illa certiorem reddere.

II. An Alipius illicite ſe geſſerit; & quoties in excommunicationem Pontifici reſervatam inciderit.

III. An in privatis ſacellis abſque ulla licentia licite poſſit celebrans adſtantibus Euchariſtiam miniſtrare.

DECISIO.

Ad I. Laudandæ in ævum memoriæ Benedictus XIV. in ſuo Eccleſiaſticis controverſiis finiendis perutili Opere *de Syn. Diæc. lib. 9. cap. 16. num. 9.*, postequam Epiſcopalem poteſtatem in Confeſſariis, etiam Regularibus, approbandis firmiſſime aſſeruit, hæc ſubdidit: *Non defuit, qui hac in re modum excederet. Epiſcopus quidam ſibi licuiſſe autumabat, in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus prohibere, ne ullus Regularium, etſi ceteroquin a ſe approbatus, accederet ad domos ſæcularium ægrotantium, ut eorum confeſſiones inibi exciperet ſine ſpeciali licentia Parochi proprii ejuſdem ægrotantis. Diſplicuit hæc Conſtitutio Regularibus . . . . . ſuas proinde adverſus decretum querelas ad S. Cong. Conc. detulerunt; eaque . . . . . die 14. Decembris 1658. Synodalem Conſtitutionem ita temperandam cenſuit; ut liberum quidem eſſet Regularibus jam ab Epi-*

ſcopo

ſcopo approbatis accedere ad domos ſæcularium morbo laborantium, ibique ſacramentum Pœnitentiæ iiſdem adminiſtrare: hac tamen adjecta lege, ut tenerentur exceptæ Confeſſionis atteſtationem in eadem domo relinquere, qua certior fieret Parochus de peracta ab infirmo Sacramentali Confeſſione; ut tuto deinde poſſet cetera Sacramenta eidem conferre.

Tanti nimirum Pontificis auctoritate Conciliaris Congregationis reſponſo conjuncta, ſi de Regularibus agatur, factum jam ſatis quæſito ſuperque nemo eſt, qui non videat. Nam quemadmodum hinc edocemur, illos, ſemel ac ab Epiſcopo approbati fuerint, nulla a Parocho petita facultate, infirmorum præcipue in proximo vitæ periculo verſantium licite poſſe Confeſſiones excipere; ita ab eiſdem, ubi Sacramentum hoc adminiſtratum ſit, Parochum omnino commonendum, aperte declaratur.

Quid vero ſi id muneris exequentes Confeſſarii de Clero Sæculari ſint? Remigius Maſchat. Cl. Reg. Schol. Piar. in ſuis *Inſtit. Can. lib. 5, tit. de pœnit. & remiſ.* hæc ad rem habet: *Romæ ex Dec. Sac. Cong. Viſit. Apoſt. juſſu Urbani VIII. edito die 10. Jul. 1625. præcipitur, ut alibi præcipi etiam ſolet, quibuſcunque Confeſſariis tam Sæcularibus, quam Regularibus ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incurrendæ, ut ſtatim in domo infir-*

infirmi fidem auditæ Confeſſionis proprio Parocho & Medico ſupervenientibus dimittere teneantur. Et notandum, quod ſi Confeſſarius ab Epiſcopo jam approbatus ſit Sæcularis, infirmi Confeſſionem audire nequeat ſine licentia Parochi ejuſdem infirmi: ſi Regularis, ſatis ſit, ut dictam tantum fidem relinquat, ut ex Cong. Conc. a Ben. XIV. relata.

Fateor, valde ambiguum eſſe, quod hic adnotandum inculcat præfatus Canoniſta; adducta ſiquidem ratio a ſapientiſſimo Pontifice Bened. ad Regulares Confeſſarios ab onere poſtulandæ a Parocho licentiæ eximendos: *Ne* videlicet *ægrotantes priventur ſolatio peccata ſua aperiendi Confeſſario, quem optent*; eadem ſi accurate inſpiciatur, & Sæcularibus Confeſſariis abunde videtur ſuffragari.

At illud conſtantiſſime affirmandum, debere hos quoque monitionem Parocho opportune exhibere de adminiſtratione a ſe jam facta Sacramentalis Pœnitentiæ; nam cum inter jura, atque officia Parochorum pleno omnium conſenſu potiſſimum annumeretur ægrotis vita periclitantibus Ss. Viaticum, & Extremam Unctionem impertiri; idque negligentes ſevere juxta Canones puniantur; injurii propterea ſunt proprio infirmi Parocho quicunque ſeu de Sæculari, ſeu de Regulari Ordine Confeſſarii, dum eam haud quaquam notitiam ſuppeditant; qua certe non obtenta, con-

contingere poteſt facillime, ut ſuis ipſe partibus deſit, neque ad normam, prout cupit, ſatagentis Paſtoris ſe gerat. Accedit, & eos erga infirmum, cujus exceperunt Confeſſionem, charitatis legem violare. Hujuſmodi namque ſilentii cauſſa ipſe periculo exponitur, iis demum carendi, quæ validiſſima ſunt animarum in vitæ exitu luctantium adjumenta, & ad peccata penitus expianda efficax quam maxime remedium. Tenentur ergo Confeſſarii tum Sæculares, tum pariter Regulares proprium ægroti Parochum de re tota commonere. Hinc præmemoratus Urb. VIII. in ſua *Conſtit. Cum ſicut accepimus ann.* 1628. *die* 12. *Septembris* edita nullum Regularibus, quominus id agerent, ſuffragari voluit privilegium, ſtatuitque illis, æque ac Confeſſariis de Clero Sæculari poſſe ab Epiſcopo hoc præcipi *ſub pæna ſuſpenſionis a facultate audiendi Confeſſiones.*

Modus ſubinde, quo ægrotantis Parocho hæc notitia præberi queat, clare jam indicatus eſt: per ſchedulam videlicet apud ipſum Pœnitentem a Confeſſario relictam. Animadvertendum tamen, hanc ſchedulæ providentiam non eo fine in medium adductam, ut unica putetur ratio, qua de eo, quod actum eſt, certior Parochus reddi poſſit; bene vero ut Confeſſariis quibuſcunque hoc velut exemplo inſinuetur, ſic fieri debere atteſtationem, ut

ut proprio infirmi Parocho de Confeſſione jam ab ipſo peracta omnis ambigendi locus præcludatur. Licite itaque qui eamdem audivit, poterit Parochum, ſeu loco Parochi ſuffectum ipſemet adire: poterit ægroti conſanguineum, familiarem, ſeu alium quemvis probatæ fidelitatis hominem mittere; *Qui enim*, ut inquiunt, *per alium facit*, *per ſe ipſum facere videtur*: poterit denique alia qualibet ratione, ſed indubia, ſed tuta, illum quantocius commonefacere; ut quæ juris, atque officii ſui ſunt, opportune circa infirmum exequatur. Atque hic, ſi bene perpendatur, videtur ſenſus tum memoratæ Urbani VIII. Conſtit., in qua poſt verba paullo ante relata mox additur: *Sufficere tamen*, *ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam*; tum Synodi Diæc. Januen. *an. 1643.* ſub Emin. Stephano Duratio coactæ, in qua *cap. 29. de Pœnit. Sac.* ſic legitur: *Qui in aliena Parochia accerſitus ab infirmo ejus confeſſionem exceperit*, *ſidem auditæ confeſſionis relinquere*, *vel aliter certiorem facere Parochum debeat;* & alterius pariter Diæc. ſub Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Julio Vincentio Gentili *ann. 1683. cap. 8. de Euchariſtiæ auguſtiſſimo Sacramento*, ubi hæc habentur: *Parochus non vocetur raptim ad adminiſtrandum infirmis jam confeſſis Sacrum Viaticum*; *ſed præmoneatur de confeſſione eorum vel a Confeſſario*, *qui confeſſionem excepit*, *vel a domeſticis*.

Nec ignorantia excuſat Alipium. Licet enim ex iis fortaſſe ſit, qui ſtudiis bellum indicentes ſolum memoriæ retinent privilegiorum nomen, ut privilegiis, vel nunquam, vel male inſpectis omnia e poſſe præſumant: ignorare tamen ſine culpa non potuit, quod in litteris patentibus, quibuſcunque hujus Diæceſis Confeſſariis concedi ſolitis, expreſſe monetur his verbis: *Si ad infirmos vocatus fueris, de eorum audita confeſſione ſtatim eorum proprium Parochum verbo, vel ſcripto certiorem facias.*

Ad II. Alipius hic, cuivis tandem Confeſſariorum cœtui accenſeatur, plura egit per partes explananda. Frequenter in primis Franciſcam infirmitate detentam inviſebat, quod eam norit apud ſuam Eccleſiam ſepulturam elegiſſe. Quis hanc, amabo, Alipii frequentiam ſuſpectam non habeat, nimiaque pro ſua ſaltem Eccleſia lucrandi prurigine vitiatam? Tanta ſane non exæſtuaſſet charitate, ſi in mulierculam incidiſſet opibus deſtitutam, derelictam, ac more pauperum ſepeliendam.

Morbo ingraveſcente ejus Confeſſionem excepit, quin de ea certiorem redderet Parochum. Quam illicite ſic agens Alipius ſe geſſerit, ſi fuſe examinare perrexero, crambrem recoquere videbor. Aptanda ſcilicet, quæ ad primum quæſitum hactenus dicta.

Inſcio ſimiliter Parocho, Miſſam in privato

Digitized by Google

vato domus Franciſcæ Oratorio celebravit, eique Viaticum præbuit. Nihil equidem ad Parochum de ordinaria Communione (Paſchali excepta) adſtanti cuipiam, etiam infirmo, in Miſſæ Sacrificio impertita intra ambitum privati Oratorii, nec ulla lege ſancitum crediderim, licentiam vivifico pane ordinario ritu vel in domeſticis ſacellis pie ac reverenter poſcentem reficiendi, eſſe a Parocho impetrandam. Verumtamen jura omnia contra Alipium clamant; quod in modum Viatici Sacroſanctam Euchariſtiam huic ægrotæ exhibuerit; quemadmodum pariter, quod vitæ periculum urgere putans, illam Sancto Oleo inunxerit. Pontificiæ quippe, ac Synodales Conſtitutiones, Ritualia omnia, Catechiſmi, Doctores quicunque uno ore, ac conſenſu tradunt, proprium tum Viatici, tum Extremæ Unctionis miniſtrum eſſe Parochum; cum proprius ille ſit animarum in ſua Parochia contentarum Paſtor. Optima propterea Eccleſiæ gubernatio poſtulat, ut eas ipſe in gravi potiſſimum vitæ periculo conſtitutas enutriat, foveat, confirmet Sacramentorum ob hanc cauſſam a Chriſto Domino inſtitutorum adminiſtratione. Itaque haud leviter deliquit Alipius, ſeu Regularis fuerit, ſeu de Clero Sæculari, qui Franciſcam Viatico reficiens, Sacroque Oleo ſuo arbitrio communiens, Parochi ejuſdem juriſdictioni facto adverſari non eſt veritus.

Probe ſcio, ad duo hæc Sacramenta miniſtranda juriſdictionem minime requiri, ceu quid pertinens ad miniſtrationis ſubſtantiam, uti in Pœnitentiæ Sacramento contingit, ſed ut debitus tantum ordo in Eccleſiæ regimine ſervetur; atque adeo in neceſſitatis eventu graviſſimorum Theologorum, ac Canoniſtarum judicio ea fas eſſe cuilibet Sacerdoti impertiri. Nec me latet, quod S. Carolus Borromæus, ſtudioſus ceteroquin jurium Parochialium aſſertor, in *Conc. Mediol. IV. par.* 1. præſertim de Sacro infirmorum Oleo his verbis docet: *Ne alius Sacerdos, niſi Parochus, hoc Sacramentum miniſtret. Si porro is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat; tunc Sacerdos alius miniſtret, licet.*

Novi inſuper, quandoquidem ſub pœna excommunicationis, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, Religioſis interdicitur, ne Extremam Unctionem adminiſtrare præſumant, nulla a Parocho petita venia, uti habetur in *Clem.* 1. *de privilegiis*; Auctores præmemoratos unanimiter opinari, dictæ pœnæ locum non eſſe, ſi ea fiat adminiſtratio urgente mortis articulo: ſi etiam fiat bona fide, ſi ex ignorantia, quantumvis craſſa; cum in *præſumentes* tantummodo ea cenſura indicta fuerit: quo pacto nec Sacerdos Sæcularis pœnas incurrit ſtatutas in Trid. *cap. 11. ſeſſ. 22. de ref.*, & in Bulla Cœnæ, ſi Parochi juriſdictionem uſurpare non autumet.

Hæc

Hæc utique omnia nota mihi ſunt, ac perſpecta. Verum in quo Alipio faveant, ſi peculiares facti circumſtantiæ inſpiciantur, non video. Tanta ſiquidem ipſius cura ſeſe Parocho ſubducendi, eaque omnia, quæ ille pro ſuo officio debuiſſet, eodem inſcio penitus atque inconſulto, præſtandi, nullum plane bonæ fidei locum relinquit; ac ſiquæ ignorantia admitti velit, ea certe non craſſa appellanda erit, ſed reapſe volita, ſupina, affectata. Quod autem ad neceſſitatem; urgens vitæ periculum, quo ipſe eo uſque imprudens proſiluit, ut Franciſcam, clanculum Viatico a ſe donatam, & Sancto Oleo inungeret, aut nullum fuit, & ſuæ menti ab inordinato ægrotæ huic inſerviendi affectu, quam ſuæ Eccleſiæ ſepultuariam ſperabat, duntaxat exhibitum: aut ſiquod vere extitit, non illam in mortis articulo conſtituit, nec hora defuit, qua accerſiri Parochus poſſet, aut ab ipſo ſaltem pro Sacramento adminiſtrando facultas poſtulari. Ecquis ergo hujuſce furfuris Confeſſarium a culpa, & quidem gravi, excuſando, Æthiopem, ut inquiunt, lavare aggrediatur? Imo vero quis non illum in cenſuram, aut pœnas, quas mox retulimus, incurriſſe arbitretur?

Ægrotam denique priſtinæ ſaluti reſtitutam blandis ſermonibus illexit, ac ſuaſit Alipius, ut jam deſignatam apud ipſius Ec-

cleſiam ſepulturam ſe non dimiſſuram promitteret. At hic quoque eum turpiter peccaſſe, atque altera Summo Pontifici reſervata cenſura ſeſe obſtrinxiſſe, certo certius exiſtimo. Abuſum ſcilicet hujuſmodi, quo ultimæ morientium voluntatis, cujus præcipua pars eſt ſepulturæ electio, non parum libertas imminuitur, juraque parochialia ſæpenumero læduntur, ſuo jam ævo graſſantem coercere volens Bonif. VIII. *tit. 28. de ſepult. in 6. Cap. Animarum* ſic ſtatuit: *Univerſis Religioſis, & Sæcularibus Clericis, cujuſcunque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.* Quam Conſtitutionem Clem. V. *Cap. 3. Cupientes* §. *Sane de pænis* ampliavit his verbis: *Sane temerarios violatores illius Conſtit. &c. ſimilem ſententiam* (ideſt excomm.) *incurrere volumus ipſo facto, ab alio quam a Sede Apoſtolica* (*præterquam in mortis articulo*) *nullatenus abſolvendos: nullis privilegiis, aut ſtatutis, cujuſcunque tenoris exiſtant, ſuper his valituris.*

Quid porro clarius adverſum callidos Alipii pro ſua Eccleſia conatus? quid ad eumdem undequaque condemnandum opportunius, atque expeditius? Fru-

Fruſtra vero ſibi ipſe adblanditur, vel quod Franciſcam ad mere promittendum illexerit, nullo ex ſui parte intercedente pacto; vel quod eam illa promiſerit ſepulturam, quam tolerati morbi initio, ſuiſque nondum auditis ſermonibus jam elegerat. Etenim ſi, quo in primis tueri ſe putat, momentum attente ſpectetur, præterquamquod veroſimile nequaquam videtur, nullam inter tam ſuavia, blandeque allicientia verba pacti formulam excidiſſe, ex. gr. de honorifica ſepulchrali inſcriptione, de prece aliqua peculiari pro illius anima, aut id genus aliis; aperte liquet, illis Pontificiæ Legis vocibus: *ne aliquos .... fide interpoſita, ſeu alias ad promittendum inducant &c.*, ſimplicem etiam, ac nudam promiſſionem vetari, adeoque pœnis inibi conſtitutis eos omnes ſubjici, qui ad promiſſionem, tametſi nudam ac ſimplicem, unumquempiam adduxerint. Quoad alterum vero parum refert, aut nihil omnino, quod pollicita fuerit Franciſca ſepulturam a ſe pridem electam, vel non; cum nulla ejuſmodi exceptio in Canone fiat; & utraque aliunde promiſſio ſufficiens ſit ad eam obligationem in promittente gignendam, quæ in cauſſa eſt, ut Clericus quiſque tum Sæcularis, tum Regularis alliciens, ac ſuadens tam rigide puniatur.

Perperam itaque, ac illicite in cunctis ſeſe

geſſit Alipius; proindeque in excommunicationes, quotquot contra hoſce reatus ſancitæ ſunt, Pontifici reſervatas incurrit.

Ad III. Sunt aliqui, nec certe infimæ notæ Scriptores, quibus ea mens inſidet, obtento ſemel Apoſtolico Indulto de Sacro in Oratorio privato conficiendo, inibi intra Miſſæ actionem licite poſſe adſtantibus devote poſcentibus Euchariſtiam miniſtrari, quin ulla ad hoc Epiſcopi, aut ejus Generalis Vicarii licentia quæratur; illoque præſertim ducuntur motivo, quod liberior hæc Sacramenti adminiſtratio congruere videatur veteri Eccleſiæ conſuetudini, qua fiebat, ut qui Miſſæ intererant, omnes de Agni Immaculati carne, & ſanguine re ipſa participarent; ac Conc. Trid. deſiderio *ſeſſ. 22. cap. 6.* his verbis expreſſo: *Optaret S. Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Secus ſentiunt, atque ut arbitror, longe verius alii permulti. Profecto, ſi privilegio pro Miſſa in domeſtico ſacello celebranda alterum pontificia benignitate de communione privilegiato, aliiſve adſtantibus ibidem impertienda adnexum ſit: ſi Sacerdos itidem in privatæ domus Oratorio celebrans Summi Eccleſiæ Moderatoris conceſſione ea ſit facultate expreſſe inſignitus,

ut

ut præſentes intra Miſſam, cui dat operam, vivifica eſca reficere valeat; nulla inſuper licentia ad communionem, de qua in quæſito, miniſtrandam, ceteris rite ſervatis, deſiderabitur. Hiſce autem caſibus exceptis, fieri id omnino nequit, inconſulto, ſeu minime permittente Ordinario. At enim duo hæc, Sacrum videlicet peragere, & petentibus Euchariſtiæ Sacramentum præbere, diſtincta inter ſe, ac ſejuncta ſunt; imo unum ſine altero haberi facile poteſt; ut frequenter ac paſſim in Eccleſiis contingit, vel cum Miſſæ celebrantur, quin ullus ad incruenti Sacrificii participationem accedat; vel cum ex præconſecratis, aſſervatiſque particulis Fideles aliqui extra quamcunque Miſſæ actionem Pane hoc Divino enutriuntur. Tametſi ergo Romanæ Sedis indulgentia in privatis interdum ædibus Miſſam a quovis Sacerdote celebrari conceſſum ſit; haud ſtatim inferendum, & conceſſam intra eamdem Miſſam adſtantibus, quantumvis enixe poſcentibus, communionem; ſed res tota ad Epiſcopum devolvenda, qui illorum deſideria mature perpendat, ac inveſtiget, an æqua ſint, an contra ex irrationabili cauſſa, aut importuna devotione petita; illudque prudenter permittat, quo nec rigori eccleſiaſticæ diſciplinæ, nec cultui ſacrorum locorum, nec ceterorum Fidelium pietati derogari poſſe cenſuerit. Nul-

Nullum vero negotium faceſſit, quod baſis loco pro parte adverſa poſitum eſt. Ante alia etenim, cum in veteri Eccleſia Miſſæ non in privatarum domorum ſacellis, ſed in ſacris, aut religioſis locis omnes celebrarentur; poterant utique Chriſtiani, quicunque id optarent, intra earumdem tempus menſæ Euchariſticæ ſuo jure participes fieri; quod nullum tunc incommodum, nullus rei tam ſanctæ abuſus foret hinc pertimeſcendus. Non ſic tamen in præſentiarum, ac in ſubjecta materia, ut bene advertenti liquido poteſt innoteſcere.

Patres inde Tridentini uberrimorum fructuum intuitu, quos ex Sacramento Euchariſtico re ipſa ſuſcepto conſequi poſſe agnoſcebant, ſuum equidem de Communione omnium Fidelium Miſſis adſtantium deſiderium nequaquam aperire dubitarunt; at illud vero executioni demandari noluere, niſi tempore, loco, aliiſve circumſtantiis approbatis, aut ſaltem non vetitis ab Ordinariis Locorum; quos propterea in mox ſubſequenti ejuſdem *ſeſſ.* 22. decreto unico *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*, ſpeciali ratione ad hoc delegarunt, ut *ea omnia prohibere, atque e medio tollere curarent, quæ a tanti Sacrificii dignitate aliena forent; quo ei debitus honor, & cultus ad Dei honorem, & Chriſtiani populi ædificationem reſtitueretur.*

Hinc

Hinc factum eſt, ut Præſules ipſi, qua edictis peculiaribus, qua decretis in eorum Synodis editis cujuſvis Communionem intra Miſſas domeſticis in ſacellis celebrandas abſque eorum expreſſa licentia identidem prohibuerint. Sic ut mittam Card. de Auria in ſua *Panor. par.* 2. *cap.* 2. *num.* 6., Patriarcham Aquilejenſ. Danielem Delphini in coacta *an.* 1740. *cap.* 14. *de celeb. Miſ.*, alioſque non paucos, Emin. Noſter Steph. Durat. in jam memorata Januen. Diœc. *an.* 1643. *de Euch. Sacr. cap.* 18. de privatis præcipue Oratoriis agens, *Nec etiam* (ait) *Sanctiſs. Sacramentum abſque expreſſa noſtra licentia in iiſdem Oratoriis, vel Capellis miniſtretur.*

Verum qui in deciſione hac adornanda præivit dux ac magiſter, & eam auctoritate, doctrinaque ſua compleat, congruentiſſimum eſt, Bened. XIV. Eruditiſſimus hic Pontifex in Inſtit. a ſe Bononiæ, cum illi Eccleſiæ Archiepiſcopus præeſſet, italico idiomate editis, Romæ vero latine redditis, 34. *de Sac. Miſſ. Sacrif. par.* 3. *num.* 12, relata opinione, neceſſariam affirmante pro re hujuſmodi gerenda Epiſcopi facultatem, *hanc ſententiam*, inquit, *ac normam in Urbe ſervari nos ipſi teſtamur*: & poſt nonnulla: *Quare ne publica templa ad illos tantum pertinere videantur, qui privatis ſacellis carent, ob alias item cauſſas jubemus, ne*

in ſa-

in ſacellis ejuſmodi, quamvis ſacrum fieri liceat, Euchariſtiæ Sacramentum per Regularem, aut Sæcularem Presbyterum miniſtretur; niſi prius per nos, aut Vicarium noſtrum Generalem permittatur. Ad Supremi poſtmodum Pontificatus culmen evectus, exortam apud Italos controverſiam ſuper Communione iis diſtribuenda, qui Miſſæ præſentes eandem poſtulant, ita non multo poſt temperavit prudentiſſimis literis, quarum initium *Certiores effecti tom. 1. ſui Bullarii n. 64.*, ut petentium pietatem commendans, eos ſimul ad juſſa propriorum Epiſcoporum humiliter capeſſenda deduxerit. Sic Paſtor vigilantiſſimus ſibi ſemper conſtans, diſſidia erumpentia in Regno Poloniæ propter privata Oratoria compeſcuit Encyclica ad Primatem illum, Archiepiſcopos, & Epiſcopos data, in qua collectis, quæ tum Bononiæ, tum Romæ ſuper hæc ſcripſerat, rem totam, potiſſimum quoad Communionem in privato, ſeu domeſtico ſacello, mirifice his verbis confecit: *Dum Bononiæ reſideremus, illius Eccleſiæ Archiepiſcopatum gerentes... opinio... quæ Epiſcopi licentiam requirit.... bono rerum ordini, tum Romanæ etiam conſuetudini, ſive praxi cohærens viſa eſt; ac proinde præcepimus, ne in privato Oratorio recipi Communio poſſet.... niſi vel noſtram, vel Vicarii noſtri Generalis licentiam Sacerdos obtinuiſſet. Neque etiam in præſens voluntas nobis, aut ratio eſt, cur ab hoc ſyſtemate*

ſtemate recedamus. Siquidem cum in magna illa controverſia .... aliquot abhinc annis in Italia exorta .... animadvertiſſemus, ejuſmodi circumſtantias dari poſſe, in quibus vel temporis, vel loci ratione Epiſcoporum prudentia opportunum factu exiſtimet, ſacram Euchariſtiam etiam illi, qui Miſſæ interfuit, minime diſtribui; eo magis, quod juxta præſentis temporis diſciplinam libera eidem facultas patet, ut eamdem alio loco, atque alio tempore ſuſcipere poſſit: ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris præcepto obedientia præſtari deberet, cui qui morem gerere recuſaſſet, nimis manifeſtum indicium præbuiſſet, quam parum animo diſpoſitus, ac paratus eſſet ad altaris Sacramentum recipiendum. Hæc Pontifex virtute, doctrina, prudentia, auctoritate maximus. His vel unum adjicere apicem ſuperfluum omnino eſt; contradicere vero, ac refragari haud ſane toleranda temeritas.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

A

ABſolvi an poſſint, qui, etſi teſtentur ſe inimicum non odiſſe, illum tamen nec alloqui, nec ſalutare volunt pag. 8.

Abſolvi an poſſit Pater, ſi filium ad colloquium non admittat 9.

Abſolutionem ab excommunicatione, quam incurrit publicus Clerici percuſſor, quis poſſit impertiri 231. Quænam requirantur, ut hæc abſolutio licita, & valida ſit *ibid.* & 212.

Abſolvi an debeat a peccatis, & cenſuris publicus Clerici percuſſor, ſenſibus deſtitutus, & morti proximus, qui paullo ante jurare noluit de ſatisfactione præſtanda Clerico percuſſo 231. & ſeq.

Abſoluti ab excommunicatione propter imminentis mortis articulum, quin ſatisfactionem partis præmiſerint, vel juraverint de ſatisfactione præſtanda, an ſi convaleſcant, nolintque implere, quod non juraverant, reincidant in excommunicationem 233. & ſeq. Ferrarii quoad hoc ſententia reprobatur *ibid.*

Abſolvere an poſſit Confeſſarius, non habens de reſervatis poteſtatem, homicidam, cujus confeſſionem audiverat, antequam incideret in reſervatum 286. & ſeq. Manſi quoad hoc doctrina refutatur 288. & ſeq.

Abſolutio an ſit deneganda Sacerdotibus comam adſcititiam ad Altare geſtantibus, licet illius uſus nunquam fuerit ipſis adeo neceſſarius, & nimia concinnatio clericali modeſtiæ, & conceſſionis formæ non reſpondeat 360.

Actus fidei, ſpei, & charitatis a Parochis tum Urbis, tum Diœceſis poſt Miſſam feſto die celebratam, ante aram provolutis, clara & intelligibili voce ex præcepto Epiſcopi eliciendi 185.

Aleis ludere num Clericis liceat 349. & ſeq, Alearum ludus an poſſit Clericis prohiberi ſub gravi 350. & ſeq.

B

BAcchanalium inſaniam num Eccleſia deteſtetur 115.

Baptiſmus collatus digito aqua luſtrali intincto an ſub conditione ſit iterandus 172.

Baptizantes ſub conditione in quo caſu irregularitatem contrahant 215. & ſeq. utrum, irregularitate contracta, poſſint ſuſceptos Ordines exercere 216.

Baptizari an debeant ſub conditione infantes expoſiti cum ſchedula teſtante de baptiſmo 213. & ſeq. Quonam caſu non debeat amplius hujuſmodi infantibus neque ſub conditione conferri baptiſma 215.

Baptiſma conditionatum an inducat cognationem ſpiritualem 309.

Beneficiorum Eccleſiaſticorum fructus in quos uſus debeant expendi 58. & ſeq.

Beneficiorum reſignationes, ſeu renuntiationes, & permutationes qualiter faciendæ a Beneficiatis, aut admittendæ ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis 174. & ſeq.

Beneficia juriſpatronatus an comprehendantur in §. *Caterum* contento in Conſtit. *Quanta* S. Pii V., relaxante prohibitionem de non admittendis reſignationibus, quo §. prohibentur Epiſcopi beneficia in eorum manibus reſignata eorum, aut reſignantium affinibus, conſanguineis, vel familiaribus conferre 175. & ſeq.

Beneficia jurispatronatus an permutari poſſint ſine conſenſu Patronorum 278. & ſeq.

Beneficiorum permutatio facta coram Summo Pontifice ſine conſenſu Patroni an ſubſiſtat 281.

Beneficiorum permutatio an poſſit admitti ab Epiſcopo, irrequiſito Patrono, iis in caſibus, in quibus non intereſt Clericorum permutantium, ſed intereſt Eccleſiæ ex ſingulari neceſſaria cauſſa 282.

C

CAlix an conſecretur per Miſſæ Sacrificium in eo peractum 327. & ſeq.

Canonici an præter præſentiam in Choro teneantur etiam canere 105. & ſeq.

Canonici in Choro non pſallentes, oſcitanter ſeſe gerentes, confabulantes, & a Choro abſque rationabili cauſſa diſcedentes, an quotidianas diſtributiones lucrentur *ibid.*

Con-

Conſuetudo, quæ in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis inter *Canonicos* invaluit, ut Choro quidem interſint, minime vero canant, vel pſallant, an ex tacito Epiſcoporum ipſos non punientium conſenſu approbata cenſeri poſſit 113. & ſeq.

Capellanus, qui onus habet Miſſam quotidie applicandi in Altari privilegiato, an peccet, quoties Miſſam non applicat in Altari privilegiato 22.; & an, & quomodo teneatur ad reſtitutionem 23.

Capellaniam habentes, ſi Miſſam per ſe ipſos celebrare non teneantur, an curare debeant, ut Miſſa per alium celebretur 19. Qui vero tenentur per ſe ipſos celebrare, an, & quoties in anno poſſint ex legitima cauſſa celebrationem omittere 14. & ſeq. An diebus licitæ vacationis poſſint pro ſe ipſis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus, celebrare 20. Si in tali caſu celebrent pro aliis, an eis liceat pro hujuſmodi celebratione ſtipendium accipere *ibid.*

Cabaſſutii opinio benigne favens *Capellanis* exploditur 21.

Capellanus ordinatus ad titulum Capellaniæ, ob aliquam infirmitatem redditus omnino impotens, & aliunde non habens, unde vivat, an, durante impotentia, per alium teneatur ſatisfacere 18.

Capellanus a Teſtatore electus cum onere quotidie celebrandi, an poſſit per alium ſatisfacere oneri Capellaniæ, an debeat per ſe ipſum 346. An mandans alteri celebrationem Miſſarum Capellaniæ, tradere debeat Celebranti eleemoſynam fructibus Capellaniæ integre reſpondentem 347. & ſeq. An licite poſſit poſt menſem mandare celebrationem Miſſarum adventitiarum 83. & 347.

Caupones an dominicis, feſtiſque diebus per horas ſervitii divini vinum, & cibaria miniſtrare poſſint non ſolum advenis, & viatoribus, ſed etiam loci incolis 74. & ſeq. An nimiam vini quantitatem vendere poſſint iis, quos experientia norunt ex illa quantitate inebriari; diebuſque jejunii eos excipere ad cœnam, quos etiam norunt ad jejunium teneri 75. & ſeq.

Clerici aleis ludentes præſertim cum fœminis, an graviter delinquant 349. & ſeq.

Clericis, & Sacerdotibus num vetitum ſit larvas, ſeu perſonas induere 119. & ſeq.

Clericus, qui nepoti ſuo variolas inſeri curavit, ex qua inſitione contracto morbo nepos idem interiit, an peccaverit, & ſit irregularis 235. & ſeq.

 Cle-

Clerici Chirurgiam exercentes an irregularitatem contrahant 250

Cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo, & Confirmatione 145. & ſeq.; an ſequatur ex Baptiſmo invalide collato 309.

Cognationem ſpiritualem an contrahat Pater filium baptizans in caſu extremæ neceſſitatis 173. an contrahat in Confirmatione Patrinus nondum confirmatus 311.

Coma ſuppoſititia vulgo *Parrucca* Eccleſiaſticis viris an ſemper fuerit interdicta 357.

Coma fictitia an uti poſſint Clerici, & Sacerdotes extra Miſſam ſine Epiſcopi licentia 359.

Comas fictitias gerere, dum ſacrum peragitur, num liceat abſque facultate Summi Pontificis *ibid.*

Comæ fictitiæ uſum ex qua cauſſa poſſint Eccleſiaſtici impetrare *ibid.* ſi impetrent, qualis eſſe debeat eadem coma 358.

Communionis annuæ præcepto an ſatisfiat per ſacrilegam Domini manducationem 224.

Qui per plures annos ſemper in Paſchate ſacrilegam ſumpſit *Communionem*, an teneatur quamprimum communicare; & toties, quoties id ſacrilege peregit 225. & ſeq. an teneatur denuo in propria Parochia communionem recipere 227. & ſeq.

Confeſſarius, qui pœnitentes abſolvit abſque ulla monitione, an bene ſe gerat 302. & ſeq.

Confeſſarii tam Sæculares, quam Regulares excipientes infirmi confeſſionem, an, & quomodo teneantur Parochum de illa certiorem reddere 379. & ſeq.

Confeſſarii an paſſim debeant acquieſcere Medicorum diſpenſationibus ab abſtinentia carnium, vel jejunio 298. & ſeq.

Confeſſarius, carens facultate a reſervatis, an poſſit abſolvere Pœnitentem confeſſum peccatum Epiſcopo reſervatum, de quo diſputant Theologi, utrum ſit mortale, an veniale 150.

Confeſſarius Regularis an poſſit abſolvere ſuum familiarem a peccatis ab Epiſcopo in ſua Diœceſi ſibi reſervatis, non petita facultate ab Epiſcopo 151. & ſeq.

Crimina violationem clauſuræ Monialium ſpectantia, Epiſcopo reſervata, an etiam Regulares afficiant 154. & ſeq.

D

DEbitum conjugale an reddi licite poſſit viro vel inceſtuoſo, vel voto caſtitatis ligato, vel ob malum finem petenti 220. & ſeqq.

Denunciandine ſint hæretici, & de hæreſi quomodolibet ſuſpecti 53. & 141. quid, ſi hæreſis, & ſuſpicio hæreſeos habeatur ſub ſecreto, etiam jurejurando confirmato 144. Quid, ſi agatur de conſanguineis, & quidem emendatis 142. & ſeq. a denunciatione num excuſentur, qui factum intellexerunt a perſona incognita 141. itemque qui ex denunciatione gravia timent damna 144.

Denunciandusne ſit, & an incurrat caſum aliquem Papæ reſervatum, qui inter hæreticos ſe, tanquam hæreticum, ſimulat 90. & ſeq.

Denunciandusne ſit Judicibus Eccleſiaſticis Confeſſarius, qui poſt auditam confeſſionem mulieris accedit ad ejus domum, ibique, aut in itinere illam ſollicitat 48. & ſeq. itemque Confeſſarius, qui a muliere, cujus audit confeſſionem, exquirens domum, in qua habitat, ſequenti die ad eam domum accedit, & mulierem ipſam ſollicitat 51. & ſeq.

Ante *denunciationem* an aliqua fraterna correctio, vel monitio præmitti poſſit, aut etiam debeat 53. & ſeq. & 140.

Dies feſti Chriſtianorum quomodo obligent 73. & ſeq. 270. & ſeq.

Diebus feſtis an liceat tranſcribere ob ſtipendium 273. & ſeq.

An iiſdem *diebus* ſolius recreationis gratia liceat venari, & piſcari 275. & ſeq.

Dimiſſoriales falſas conficientes, & accipientes an, & quo peccato delinquant 97. & ſeq.

Diſtributiones a Canonicis non pſallentibus, vel abſentibus amiſſæ quibus elargiendæ ſint 110. & ſeq. An liceat *diſtributiones* abſentibus donare, relinquere, aut quavis colluſione remittere 110.

Diſtributiones indebitas, quas perceperunt, an reſtituere teneantur Canonici, & cui 112. Ab hoc reſtitutionis onere an eos excuſet antiquæ conſuetudinis, vel prætenſi privilegii prætextus 113.

Duella quam ſevere interdicta 319. & ſeq. Pœnæ in *duellantes* ibid.

E

Ebrietas an ſit ex genere ſuo peccatum mortale 24. *Ebrietatis* varii gradus 25. Formalis *Ebrietatis* malitia in quo conſiſtat 26.

An graviter peccent ita affecti ex voluntaria potatione. ut capite, ac pedibus valde vacillent 27. & ſeq.

Quid de iis, qui bibunt, ut vomant, & vomunt, ut bibant 31. & ſeq.

Ebrietas an licita ſit ex Medicorum conſilio 33. & ſeq. An ſit mortalis, etiamſi ſciat ebrioſus, brevi tempore ſe uſu rationis privari 37.

Eccleſia an polluatur per ſepulturam occumbentis in loco duelli, & conflictus, vel extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto 319. & ſeq. Exploditur quoad hoc doctrina Romani Theologi in notis ad Ferrarium 322. & ſeq.

Eccleſia polluta an reconcilietur, ſi Sacerdos in ea celebret 324. & ſeq.

In *Eccleſia* polluta celebrantes an lethaliter peccent, & ullas pœnas incurrant 328. & ſeq. Quid de celebrantibus in *Eccleſia* interdicta *ibid.*

Eccleſiaſticus, ſeu Religioſus, qui laico habitu perſonatus per urbem incedit, an graviter peccet 119. & ſeq. an etiam excommunicationis vinculo innodetur 120.

Epiſcopi quoad caſuum reſervationem 149. & ſeq.

Epiſcopi dictum quantæ ſit auctoritatis, & ponderis 134. & ſeq.

Epiſcopi quam caute ſimplici Sacerdoti facultatem committere debeant, ut in matrimoniis contrahendis intereſſe poſſit 130. quid circa hoc ſtatuat Synodus Provinc. Genuenſis ſub Archiep. Cypriano Pallavicino, & Benedictus XIV. in ſuis Conſtitutionibus *ibid.* & 131.

Epiſcopi debent proſpicere, ne ullis in Parochiis, quovis modo exemptis, Dominicis ſaltem, feſtiſque diebus deſit Evangelii prædicatio, Populique per catecheſes inſtructio 191.

Epiſcopi curare debent, ut in Eccleſiis ruralibus, etiam non parochialibus, longe a parochiali ſepoſitis, Chriſtianæ Doctrinæ ſumma per Sacerdotes ibi operantes populus inſtruatur 184.

Ab *epulis* licitis ſimul, & interdictis abſtinendumne ſit non ſolum diebus jejunii, ſed etiam feriis ſextis, & ſabbatis per annum 300. & ſeq.

Euchariſtiam an poſſint Celebrantes in privatis ſacellis abſque ulla licentia adſtantibus miniſtrare 390. & ſeq.

Excommunicatio Clement. contra percuſſores Clericorum 231. & ſeq.

Excommunicationes in jure non reſervatæ, an reſervatæ intelligantur Epiſcopis 121.

Ex-

Excommunicatio, quam incurrit Religioſus, ſeu Regularis incedens larvatus, an ſit reſervata 120.

Excommunicationis vinculo num innodentur in Diæceſi Genuenſi, qui infantes recenter natos quamprimum, & ad ſummum infra octo dies ad Sacrum Baptiſmi fontem deferri negligunt 147.

Extremam Unctionem an poſſint Regulares adminiſtrare ſine Parochi licentia 385. & ſeq.

Exrremæ Unctionis proprius Miniſter 385. ejus ſubjectum 70. & ſeq.

Extremæ Unctionis Sacramentum an poſſit adminiſtrari oleo benedicto veteri, ideſt annis præteritis conſecrato 267. & ſeq., vel oleo ab Epiſcopo non benedicto 269. & ſeq.

F

FAmiliares Regularium duplicis ſunt generis 151.

Familiaribus ſuis num poſſint Regulares Sacramentum Euchariſtiæ etiam tempore Paſchatis, ac Extremæ Unctionis miniſtrare, & ſepulturam dare in propria Eccleſia 152.

Feſti dies, *Vid.* Dies feſti.

Filiifamalias matrimonium invitis parentibus contrahentes an lethaliter peccent 39, & ſeq. 200. & ſeq. Salmanticenſium quoad hoc ſententia reprobatur 202. & ſeq.

Filiisfamilias num ſemper licitum ſit matrimonium inire, parentibus irrationabiliter invitis 204.

Furtum rerum domeſticarum 303.

Fructus pignoris in ſortis aſſecurationem recepti, utrum reſtituendi ſint, & in ſortis diminutionem computandi 362.

Fructus pignoris pro dote nondum ſoluta utrum licite captari valeant *ibid.* & 363.

Fructus pignoris dotalis an ferendis in matrimonio oneribus proportionales eſſe debeant; & eorumdem exceſſus in ſortem ſit deducendus 364. & ſeq.

Fructus in venditione mutui, vel cenſus utrum anticipato exigi poſſint 377.

H

HAbitus Clericorum qualis eſſe debeat 352. & ſeq.

Pœnæ in Clericos honeſtum *habitum* clericalem non defe-

rentes 353. Pro Beneficiariis quoad delationem *habitus* an adſit ſpecialis prohibitio, & pœna 356. & ſeq.

Homicidium mandantes, & conſulentes an incidant in reſervatum, & irregularitatem 291. & ſeq.

An mandans revocato mandato, & conſulens revocato conſilio, licet inde ſequatur occiſio, irregularitatem, & reſervationem effugiant 293. & ſeq.

I

ILlegitimum ſe eſſe dubitans, an valeat ad Ordines promoveri 127. & ſeq.

Impedimenta matrimonium impedientia an omnia contineantur in vulgatis verſiculis 44.

Conjuges, qui fatentur aliquod dirimens *impedimentum*, an ſint ſeparandi 137. & ſeq.

De *impedimento* conſanguinitatis, vel affinitatis dubitantes num matrimonium contrahere valeant, non petita diſpenſatione 168. & ſeq.

Impedimentum matrimonii ex defectu proprii Parochi 130. & ſeq. 334.

Epiſcopi miniſtro aſſeveranti jurejurando, ſibi conceſſam fuiſſe a ſuo Epiſcopo facultatem contrahendi matrimonium coram quolibet Sacerdote, an ſimplex Sacerdos debeat fidem adhibere 131. & ſeq. Si fidem adhibeat, & tali matrimonio interſit, atque aliunde proteſtetur Epiſcopus, ſibi non conſtare de data miniſtro licentia, an validum ſit hoc matrimonium *ibid.* An jure Epiſcopus poſſit ſuſpendere a divinis hunc Sacerdotem, coram quo matrimonium fuit contractum *ibid* An ab hoc matrimonio tuta conſcientia reſilire poſſit mulier, quæ Epiſcopi miniſtro fuit copulata *ibid.*

Impedimentum raptus 332. & ſeq.

Pœnæ in *raptores*, eiſque conſilium, auxilium, & favorem præbentes 335.

Excommunicatio, quam incurrunt *raptores*, an ſit reſervata *ibid.*

Ad *raptum* conſtituendum an ſufficiat ſolus diſſenſus parentum, an ulterius requiratur etiam raptæ diſſenſus 332. & ſeq.

Impedimentum *raptus* an etiam tum locum habeat, quum non quis ſibi, ſed alteri conjugio jungendam puellam rapuerit 333. & ſeq.

Impedimentum matrimonii ſcientes num teneantur ſub gravi illud detegere 316.
Quo-

Quomodo intelligenda illa verba Concilii Lateranenſis: *Qui voluerit, & valuerit, impedimentum opponat* ibid.

An qui juramento ſe adſtrinxerunt ad *impedimentum* matrimonii non detegendum, & qui ex impedimenti delatione, gravia ſibi damna ſuſpicantur, illud nihilominus revelare debeant *ibid.* & 317.

Impedimentum petendi debitum conjugale 307.

An copulam habens cum affine in ſecundo gradu ſit immunis a dicto *impedimento* 313.

Ignorantia prædicti *impedimenti* an excuſet 312.

Inimici quomodo diligendi 8.

Inimici reconciliati an teneantur ad priſtinam familiaritatem 10.

Injuriarum actionem an læſus teneatur remittere 11. & ſeq.

Irregularitas ex iteratione baptiſmi 215. & ſeq.

Juſpatronatus an amittat Patronus ob occiſionem, vel mutilationem Beneficiati 282. & ſeq. Si amittat, an poſſit iterum illud acquirere per ſolam Epiſcopi diſpenſationem 284. & ſeq.

L

LAicus, qui religioſo, ſeu eccleſiaſtico habitu perſonatus in publicum prodit, an graviter peccet 117. & ſeq. An etiam ſacrilegii reus dici debeat 119.

Legis formalis contemptus an ſit ex genere ſuo mortale crimen 82.

Lercari Joannis Archiepiſcopi Genuenſis decretum ad extirpandos deteſtabiles abuſus vagantium per exteras regiones 88. & ſeq.

Idem Archiepiſcopus confirmavit declarationem caſuum reſervatorum editam a fel. rec. Joſepho Maria de Saporitis 297. ac præcepit in Sacra Viſitatione obſervantiam edicti promulgati in Synodo Diæceſana a Julio Vincentio Gentili Archiep. Genuen. contra Sacerdotes celebrantes ſine veſte talari 356.

Ludus pertinere poteſt ad virtutem Eutrapeliæ 351.

M

MAter pro exoneratione conſcientiæ ſuæ an coarctari poſſit ad revelationem filii adulterini 122.

Matri

Matri infamiam ſuam alleganti an credere debeat filius, ſi illa præſtito juramento eum eſſe illegitimum fateatur *ibid.*

Matrimonia a filiisfamilias ſine parentum conſenſu contracta utrum irrita ſint, & a parentibus irritanda 39. & 200.

Matrimonio an ſint jungendi ignorantes doctrinam chriſtianam 44.

Conjux de ſui *matrimonii* validitate dubitans an poſſit debitum petere, & reddere 388. & ſeq.

Mulieres cogere, ut ſe religioni devoveant, ſub qua pœna interdicatur 42.

Mulieres, quæ cum debita modeſtia ad Sacramenta non accedunt, quæque humeros, pectuſque veſte, ſeu integumento, quod translucidum non ſit, opertum non habent, utrum debeant ad ea admitti 199.

N

NAtalium defectus an tollatur religioſa profeſſione 128.

Negotiator decoctioni proximus an tantam pecuniæ ſummam ſervare poſſit, quantam ſuæ, ſuorumque ſuſtentationi ſufficere arbitratur 251.

Idem num peccet ſolvens uni ex creditoribus totum, & integrum debitum *ibid.* & ſeq. Et an creditor poſſit tuta conſcientia ſolutum retinere 252. & ſeq.

Idem, ſi deinde negotia feliciter reparaverit, & poſſit, quidquid fuit condonatum, reddere, & ſolvere integrum debitum, utrum ad id teneatur 253. & ſeq.

O

OBedientia omnino præſtanda Principi, ſeu Magiſtratui Principis partes gerenti 256. & ſeq.

Occaſio proxima peccati quænam eſſe cenſeatur 205.

Oleum Sanctum quo in loco cuſtodiendum 264.

An peccet Parochus crebro, & ſine neceſſitate *Oleum Sanctum* domi retinens 265.

An poſſit Parochus *Oleum Sanctum* per laicos deferre ad Infirmos *ibid.* & ſeq.

An peccet Parochus adminiſtrans in caſu neceſſitatis idem *Oleum Sanctum* ſine ſtola, & ſuperpelliceo, vel cum ſola ſtola, aut ſolo ſuperpelliceo 266. & ſeq.

Opera

Opera ſervilia diebus feſtis prohibita 73. 271. & ſeq.
Opus peccati an inter opera ſervilia ſit accenſendum 271.
Ordinarius an poſſit concedere licentiam Parocho, ut in publica Univerſitate ſtudiis S. Theologiæ, vel Canonum vacare poſſit 179. & ſeq.
Ornatus mulierum 192. & ſeq.
Ornamentorum mulieris exceſſus valde immoderatus an ſit culpa lethalis 193. & ſeq.

P

PActum pœnæ conventionalis in mutuo an liceat. *Vid.* Uſura punitoria,
Parentes an teneantur advocare Parochum ad Extremam Unctionem, & alia Sacramenta pueris graviter decumbentibus adminiſtranda 72.
Parentes an peccent permittentes in ſuis puellis ſcandaloſas vanitates 109.
Parentum conſenſus in conjugiis 39. & ſeq. 200. & ſeq.
Parochi quoad impedimenta conjugii, quæ noverunt in confeſſione 318., quoad adminiſtrationem Sacramentorum 70. & ſeq. 145. & ſeq. 265. & ſeq.
Parochi rebaptizantes ſub conditione indiſcriminatim infantes jam domi ab obſtetricibus, vel aliis privatim baptizatos an graviter peccent 211. & ſeq.
Parochis an onus incumbat docendi obſtetrices ea, quæ pertinent ad rectam Baptiſmatis adminiſtrationem 213.
Parochi an teneantur munera paſtoralia per ſe præſtare 163. & ſeq, 185. & ſeq.
Parochiale beneficium recipientes cum gravi dubio ob infirmam habitualiter valetudinem, an munera parochialia obire poſſint, quæ propterea fere omnia per alium exercent, an peccent dictum beneficium recipiendo, & retinendo 165. an teneantur idem beneficium abſolute dimittere; an vero poſſint petere coadjutorem *ibid.* & ſeq.
Conſanguinei, affines, & familiares *Parochi* renunciantis Parochiam, aut Epiſcopi admittentis, an poſſint admitti ad concurſum 174. & ſeq. an iidem poſſint admitti ad concurſum in caſu Parœciæ vacantis per obitum 177.
Parochi an diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſolemnibus debeant habere concionem ad populum 181. & ſeq. qualis debeat

beat eſſe, & quo tempore habenda iſta concio 183. & ſeq. An dominicis pariter, & aliis feſtivis diebus pueros, & rudiores quoſque divinæ Legis, Fideique rudimentis informare teneantur 181, & ſeq. An a duobus iſtis oneribus *Parochos* eximant ullæ excuſationes 185. & ſeq. Quandonam mortaliter peccent *Parochi* Verbi Dei prædicationem, Populique inſtructionem prætermittentes 188. & ſeq.

Parochus, qui puerum baptizaturus, videns non comparere adhuc Patrinum pro tali officio a parentibus deſtinatum, impatiens moræ alterum ei ſubrogat, an graviter delinquat 145. & ſeq. An Patrinus hoc in caſu a *Parocho* deſignatus ſit vere talis, & ſpiritualem contrahat cognationem 147. & ſeq.

Ad *Parochialem* Eccleſiam promotus, non habens intentionem ſuſcipiendi Presbyteratum intra annum, utrum peccet, & Eccleſiæ fructus reſtituere teneatur 177. & ſeq.

Parochus ruris an ſit Parochus legitimus ad aſſiſtendum matrimoniis eorum, qui ruſticationis tempore ruri commorantur 334.

Parochus quomodo gerere ſe debeat cum filiofamilias, qui vult matrimonium contrahere ſine conſenſu parentum 46.

Parochus ſuos augens conſanguineos ex Beneficii ſui fructibus an ſit tutus in conſcientia 60. An, ſi augeat, teneatur ad reſtitutionem tum ipſe, tum ejus conſanguinei *ibid.* & ſeq. An ſaltem tuta conſcientia ex bonis parſimonialibus, vel ex bonis quaſi patrimonialibus ſuos poſſit augere 62. & ſeq.

Quæ de *Patrinorum* numero, & cognatione contrahenda in Baptiſmo diſpoſuit Tridentinum, utrum cenſeantur etiam diſpoſita circa Confirmationem 148.

Peccata dubia an reſervationi ſubjaceant 306. & ſeq.

Peccatum die feſto patratum an novam ſuperinduat malitiæ ſpeciem 272.

Pecunia loco pignoris depoſita in commodum alterius, quando fructus jure ferat. *Vid.* Uſus pecuniæ.

Pœna vulgo moratoria in mutuo an licite apponi valeat 369.

Pœnæ inflictæ a *Cap. Omnis utriuſque ſexus*, an ſint omnes ferendæ ſententiæ 229. & ſeq.

Pœnæ in perditos homines, qui innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulant 56.

Pœnæ an ullæ inflictæ ſint in Sacerdotes diſcedentes e Diœceſi abſque dimiſſoriali ſui Ordinarii 96. & ſeq.

Pœæn

Pœnæ quas incurrunt, qui pinguia ſtipendia in una Diœceſi pro Miſſis celebrandis colligunt, & Miſſas in alia Diœceſi pro minori ſtipendio celebrari faciunt 98.

Pœnitentias convenientes an ſemper imponere teneatur Confeſſarius 66. quænam ſint pœnitentiæ convenientes, & inconvenientes *ibid.*

Pœnitentias, quas ipſi Confeſſarius impoſuit, an poſſit aliquando Pœnitens recuſare 67. & ſeq.

Pœnitentiæ impoſitæ an, & quomodo poſſint ab alio Confeſſario mutari 67.

Pœnitens, qui, poſt gravem a Confeſſario acceptam pœnitentiam, apud alterum, priore confeſſione occultata, iterum confitetur, ut pœnitentiam leviorem accipiat, utrum valeat, relicta prima pœnitentia, ſecundam, quæ levior eſt, peragere 68. & ſeq.

Puella amorem exercens cum juvene, quem graviter tentatum agnoſcit, num lethaliter peccet, etiamſi ipſa nullam ſentiat ad peccandum inclinationem 206. & ſeq.

Puellæ permittentes, ſe ab adoleſcente capillorum tonſore criſpari, an peccent 198.

Pueri ſeptennes an ſint capaces Extremæ Unctionis 70. & ſeq.

Pueri, de quibus dubium eſt, an habeant rationis uſum, utrum ſub conditione Sancto Oleo ſint inungendi 71.

Punctatores olim *Obedientiales* dicti 102. Eorum officium, & numerus 101. & ſeq. Si conniventer prætermittant punctare eos, qui punctandi ſunt, an teneantur de proprio reſtituere diſtributiones, quæ accreſcerent intereſſentibus 104. & ſeq.

Q

QUæſtores, ſeu Quæſtuarii eleemoſynarum 86. quid contra ipſos ſanxerit Tridentinum 87. An, & quoties peccent circumvagando per varias regiones etiam hæreticorum, modo cum mentito habitu clericali, aut religioſo, cum falſis dimiſſorialibus, & litteris patentibus, modo ſe hæreticos inter hæreticos, modo ſe ab hæreſi converſos inter catholicos ſimulando 90. An, & cui reſtituere debeant pecunias fictis, ſimulatiſque verbis, ac fallaci mendicitate extortas 92. An liceat familiæ hujuſmodi *Quæſtorum* participare pro alimentis de præfatis congeſtis pecuniis 93. Utrum liceat Confeſſario partem aliquam reſtitutionis id genus *Quæſtoribus*, eorumdemque fami-

lia

liæ aſſignare, ut veris pauperibus 93. Utrum venditores bonorum emptorum ab hujuſmodi *Quæſtoribus* peccaverint, & an teneantur ad reſtitutionem 93. & ſeq.

R

RAptoribus quam pœnam infligant Criminalia Jura Sereniſſimæ Reip. Genuenſis 336.

Reciproca remiſſio an teneat inter fratres, qui audientes a matre, alterum eorum eſſe illegitimum, ipſamque eſſe paratam eum revelare, niſi pactum ineant ab invicem, ſibique remittant, mutuæ indulgent condonationi 122. & ſeqq.

Regulares ſine Parochi licentia Viaticum, & Extremam Unctionem adminiſtrantes quam culpam, & pœnam incurrant 385. & ſeq.

Reſervatio caſuum 149. 286. & ſeq. 305. & ſeq.

Qui habet facultatem ab omnibus *reſervatis* abſolvendi, an poſſit etiam diſpenſare ab impedimento petendi debitum 313. & ſeq.

A caſibus Ordinariis Locorum *reſervatis* num poſſint Regulares abſolvere 153. & ſeq.

Reſtituendane ſit pecunia recepta ultra pretium taxatum a Magiſtratu 260. Et quomodo hæc reſtitutio ſit peragenda 261. & ſeq.

Rubricæ an ſint meræ inſtructiones, & conſilia 81. & ſeq.

Rubricæ in Sacro peragendo quam diligenter obſervandæ *ibid.* An peccet lethaliter *rubricas* negligens in Miſſa celebranda *ibid.* & ſeq.

S

SAcerdos an poſſit recipere onera Miſſarum celebrandarum, quibus infra modicum tempus non poteſt ſatisfacere 83. An dictum modicum tempus, generatim loquendo, reputari poſſit tempus duorum, vel trium menſium *ibid.*

Sacerdos, qui nimium diſtulit Miſſarum celebrationem, an teneatur aliquando reſtituere ſtipendia 83. & ſeq.

Sacerdos, qui ſtipendium ſolito majus pro celebratione Miſſarum accepit, an poſſit per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia ſtipendii parte ſibi retenta 99. Quid ſi Sacerdos ad faciendum Sacrum ſubrogatus rem totam plane noverit, & tamen ſe minori ſtipendio contentum fateatur *ibid.*

Sacerdotes, vel Laici, qui collegerunt eleemoſynas majores

res ſolito pro celebratione Miſſarum, an aliquid ſibi poſſint retinere pro ſuis laboribus in Miſſarum eleemoſynis colligendis 100.

Quando tribuens eleemoſynam non præſcripſit numerum Miſſarum celebrandarum, quot Miſſæ debeant a *Sacerdote* celebrari 99.

Sacerdotes Sacrum facientes in Diæceſi Genuenſi ſine veſte talari quam pœnam incurrant 354. & ſeq.

Sacerdotes Sacrum nimia celeritate conficientes an lethaliter peccent 79. & ſeq.

Sacerdotes tenentur Miſſam celebrare ſaltem in feſtis principalibus 95.

Sacerdoti an liceat diſcedere e Diæceſi abſque dimiſſoriali ſui Ordinarii *ibid.* & ſeq.

Sacerdotibus exteris, & ignotis ſine litteris Epiſcopi commendatitiis an ſit permittendum, ut celebrent *ibid.*

Sacerdos ad confeſſiones non approbatus a venialibus an valide abſolvat 150.

Scandalum mulierum veſtibus valde vanis ornatarum, ac incedentium denudato pectore, aut illud cooperientium translucentibus velis 191. & ſeq.

Senes decrepiti, nulla alia ægritudine laborantes, an ſint capaces Extremæ Unctionis 70.

Sepultura Eccleſiaſtica denegata iis, qui decedunt ex vulnere in duello accepto 321. & ſeq.

Religioſi, & Sæculares Clerici, qui aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducunt, ut apud eorum Eccleſias *ſepulturam* eligant, vel jam electam ulterius non immutent, an peccent, & quas pœnas incurrant 388. & ſeq.

Simonia a quo nomen accepit 344. quam ſit deteſtanda 337. & ſeq. Simonia realis 156. & ſeq. 343. & ſeq. Simoniacorum pœnæ 157. & ſeq. 338. & ſeq.

Simoniæ ab hæreſi ſimoniaca diſtinctio 342.

Simoniaci an vi *Extrav. 2. de Sim. inter comm.* ſint denunciandi 340. & ſeq.

An nulla, vel irritanda ſit collatio beneficii, quum proviſus tractatus *ſimoniaci* prorſus eſt ignarus 159. & ſeq. quid, ſi caſus ſit de beneficio juriſpatronatus, & *ſimoniam* in præſentatione commiſſam non ſolus proviſus, ſed Epiſcopus etiam collator ignoret 162, & ſeq. Et quid, ſi tradens pecuniam, inſcio electo, id faceret malitioſe per fraudem in diſpendium illius, qui erat eligendus 339. & ſeq. Si-

Simoniace proviſus an fructus beneficii reſtituere debeat 161.

Sponſalia inita, inſciis, vel invitis majoribus, an ſint invalida, vel ſaltem illicita 42. 43. 204. An majorum diſſenſus ſit ratio ſufficiens ea diſſolvendi, licet fuerint juramento firmata, nec cum perſona indigna contracta 43. 44. 204. Qui veniant in hoc caſu nomine majorum 45.

Si *Sponſalibus* additum fuerit ſtuprum, an teneatur filiusfamilias ducere fœminam alias indignam, non obſtante ſcandalo, atque injuria parentum, ſeu conſanguineorum 46.

Sponſi de futuro ſoli inter ſe converſantes num cenſuram aliquam incurrant in Genuenſi Diœceſi 208. & ſeq.

Suſpenſio a divinis ob quam culpam debeat irrogari 136. aliquando non proprie cenſura, ſed pœnitentia, vel pœna 135. aliquando ſimplex providentia 136.

T

TEſtis unicus ſi deponat de conſanguininate, an ſponſalia ſint diſſolvenda 168. & ſeq.

Tridentinæ Synodi textus conciliantur 111.

V U

VAcatio per obitum an impediat, quominus Beneficia etiam curata conferantur conſanguineis, affinibus, vel familiaribus aut Beneficiati mortui, aut Ordinarii collatoris 177.

Variolarum inſitio an licita ſit 236. & ſeq.

Vendere res carius, quam valeant, an ſit illicitum, & injuſtum 77. 257.

Venditores an teneantur ſtare pretio conſtituto a Magiſtratu 257. & ſeq.

Veniam petere a læſo an lædens teneatur 10.

Viatici quis proprius Miniſter 385.

Uſura punitoria an liceat abſque eo, quod creditoris interſit 369. & ſeq.

Uſus pecuniæ an licite vendi poſſit 375. & ſeq. S. Thomas quid ſenſerit de venditione uſus pecuniæ 376.

Uſus in fœminis oſtentandi pectoris nuditatem an ſit reprobandus 196. & ſeq.

Uxor coacta a marito ad illicitum commercium exercendum a n peccet 78.

FINIS.

MAG 2006466

Digitized by Google

Digitized by Google